De re scenica in Aeschyli Eumenidibus.

De Eumenidum re scenica multifariam tractata a viris doctis expositurus non vereor ne cui nimium facere videar. Versatus enim in hisce litteris haud ignorat non modo omnibus rationibus nondum absolutam esse hanc quaestionem, immo vero nunc demum recte tractari coeptam. Meum autem esse putabam non dissimulare, si quid habere mihi videbar rectius istis, quae adhuc valent de veterum re scenica. Cum primum accederem ad haec studia, protinus Aeschylum ita adamavi, ut in eius fabulis primum, quid vires admodum iuveniles proficerent, experiendum mihi proponerem. Neque puto iniuria ita rem instituisse. Nam nonne Aeschylus est is, cuius fabulae cum primum nobis servatae sunt tum excelluisse dicuntur rei scenicae apparatu lautissimo? In hac Aeschyli laude consentiunt omnia veterum testimonia, quorum unum hic afferre sufficiat [1]). Namque in vita Aeschyli scribitur: *Πρῶτος Αἰσχύλος πάθεσι γεννικωτέροις τὴν τραγῳδίαν ηὔξησε, τὴν δὲ σκηνὴν ἐκόσμησε καὶ τὴν ὄψιν τῶν θεωμένων κατέπληξε τῇ λαμπρότητι, γραφαῖς καὶ μηχαναῖς, βωμοῖς τε καὶ τάφοις, σάλπιγξιν, εἰδώλοις, Ἐρινύσι, τούς τε ὑποκριτὰς χειρῖσι σκεπάσας καὶ τῷ σύρματι ἐξογκώσας, μείζοσί τε τοῖς κοθόρνοις μετεωρίσας.* Quid, quaeso, si haec omnia Aeschylus demum fabulis addidit, prioribus supererat apparatus scenici ad fabulas suas exornandas? Rectissime igitur Sommerbrodtius censuit ante omnes Aeschylum dignum esse, in cuius rem scenicam ducentibus verbis poetae ipsius in fabulis servatis quam accuratissime inquiratur, et licet hoc summo cum studio fecerit in tribus programmatis duobus quidem academiae ordinis equestris Ligniciensis a. MDCCCXLVIII et MDCCCLI tertio autem gymnasii Anclamensis a. MDCCCLVIII, tamen ita in universum egregiam suam instituit disquisitionem, ut quomodo in unaquaque singula fabula toto hoc apparatu scenico usus sit poeta, inquirendum adhuc reliquum sit. Atque omnino quomodo unaquaeque fabula in veterum Graecorum theatro repraesentari solita sit, quaeri potest. Quod mihi in Eumenidum primum fabula faciendum esse existimavi, atque hanc potissimum ob caussam, quod quae, cum studiorum meorum de veterum re scenica primitias publici iuris facerem, in calce illius dissertationis [2]) proponebam de Eumenidum choro, quatenus sit in scena, satis illa incerta, officium mihi imposuerint accuratius occasione data idonea in universam huius fabulae rem scenicam inquirendi. Qua nunc recuperata occasione idonea laetor neque parum me iuvabit, si in conclamatissima huius fabulae exornatione scenica aliquid rectius istis, quae adhuc de ea disputata sunt, me protulisse viri docti iudicabunt.

---

[1]) Cetera v. apud Sommerbrodtium loco statim excitando p. XIV.
[2]) De chori Graecorum tragici habitu externo, Berol. a. 1857.

Ne vero quis plura sibi promittat de hac disputatione quam inveniet, id etiam praemitto me certissime fabulae res scenicas constituisse mihi visum esse, si anxie premerem poetae ipsius vestigia evitatis, quam maxime fieri potuit, virorum doctorum controversiis, quae permagnae sunt in hac fabula. Sed fieri non potuit quin in compluribus, quae ad Eumenidum rem scenicam spectant, quaestionibus, illa respicerem, quae inprimis G. Hermannus et O. Müllerus inter se de hac fabula contenderint. Quibus accedit Schoemannus, qui in Eumenidum versione Germanica (Gryph. a. 1845) passim rem scenicam tetigit atque in annotationibus partim uberius tractavit, item Franzius in Oresteae versione (Lips. a. 1846). Wieseleri autem in hanc fabulam Coniectaneis (Gotting. a. 1839) in prioribus tantum duabus dissertationis particulis uti mihi licuit. Denique qui nuper de veterum Graecorum re scenica publici iuris factus est liber, Schoenbornii dico (Lips. a. 1858), mihi tum demum in manus venit, cum fere tota iam scripta esset haec dissertatio. Itaque temporis angustiae non permittebant, quin totum in eius usum converterem, sed hic illic tamen, ubi res ferebat, aliquid ex eo adnotandum duxi.

Totam autem disputandi materiem in has quinque partes dividendam putavi: I. De scenae in hac fabula significatione eiusque factis mutationibus. II. De partibus huius fabulae ex lege Aristotelea[3]) constituendis. III. De Furiarum ingressu *σποράδην* facto et terrore, quem is incussisse spectatoribus fertur[4]). IIII. De iudicio facto de Oreste in Areopago et calculo Minervae. V. De exodo et *προπομπῶν* pompa.

I.

De scenae in Eumenidum fabulae significatione eiusque factis mutationibus.

Veterum Graecorum theatrum tres habuisse partes inter omnes constat. Theatrum enim proprie dictum, cui insidebant spectatores in sedibus in rupem incisis, excipiebat orchestra vel thymele, locus chori, atque hanc ea pars, in qua agebant actores. Omissis prioribus partibus tertiam hanc nunc paullulum accuratius describere interest. Qua in re optimus nobis dux erit Sommerbrodtius l. c. p. IX sq. Illud igitur spatium actorum proprium nunc quidem scena appellari consuetum est. Proprie autem *σκηνῆς* vocabulum apud Graecos tentorii obtinet significationem et in theatro *ἡ σκηνή* aedificium erat, in quo recondebatur apparatus scenicus et quo histrionibus patebat recessus[5]). Deinde scena dicebatur is huius aedificii paries, qui ad spectatores spectabat: tum scenae nomen etiam usurpabatur de peripetasmatis et aliis exornationibus scenicis, quae affigebantur in hoc pariete. Locus igitur, qui ante hunc parietem est quique

[3]) Poet. 12.
[4]) Poll. IIII, 110. Vit. Aesch.
[5]) Testimonia veterum, quibus variae *σκηνῆς* significationes evincantur, v. apud Sommerbrodtium.

erat tabulatum ligneum, recte appellabatur *προσκήνιον*, et quia in eo agebant et dicebant actores, accipiebat hoc proscenium nomen *τοῦ λογείου* a *τοῦ λέγειν* verbo[6]), quod per „pulpitum" reddit Vitruv. V, 8. Postremo etiam hoc ipsum pulpitum scenam Graeci nominabant, sicut illam, quae antiquitus vocabatur thymele, partem orchestram. Sunt igitur tres theatri partes hae: theatrum proprie dictum spectatorum, orchestra chori, scena histrionum propria[7]).

Si varias huius vocis scenae significationes tenemus, tunc recte intellegere possumus discrimen illud inter scenam ductilem et versilem, quod secutus verba Servii ad Verg. Georg. III, 24: „Scena, quae fiebat, aut versilis erat aut ductilis: versilis tum erat, cum subito tota machinis quibusdam convertebatur et aliam picturae faciem ostendebat, ductilis, cum tractis tabulatis huc atque illuc species picturae notabatur interior" — quae igitur Servii verba secutus et versilis et ductilis scenae notionem exposuit Sommerbrodtius p. XIX—XXI. Cum non huius loci sit accuratius hoc persequi, paucis comprehendam quae ille effecit. Scena ductilis est ille paries aedificii scenici, in quo affigebatur apparatus scenicus demonstrans locum, in quo fabula agebatur. Si igitur aliae picturae inducebantur, totus locus mutabatur. Scena autem versilis duae erant „machinae trigonae" in partibus proscenii, quae partes vocabantur *παρασκήνια*, positae, quas *περιάκτους* Graeci nominabant. De quibus periactis Poll. IIII, 126: *ἡ μὲν δεξιὰ τὰ ἔξω πόλεως δηλοῦσα, ἡ δ' ἑτέρα τὰ ἐκ πόλεως, μάλιστα τὰ ἐκ λιμένος.* Diversa haec dextrae sinistraeque partis significatio in totam tragoediae actionem cadit, itaque et in histriones et in choreutas. Cum vero ambigua sit dextrae et sinistrae partis notio, utrum a spectatoribus an ab histrionibus referatur, haec quaestio eis disceptari potest, quae veteres auctores de chori incessu testantur[8]). Hinc apparet, cum dicantur choreutae in incessu spectatores in sinistra habuisse, necessario illos a dextra eorum parte ingressos esse. Deinde cum hoc sinistrum chori latus honestior dicatur fuerintque plerumque choreutae eiusdem, qui in scena repraesentabatur, loci incolae: patet parte a spectatoribus dextra repraesentata fuisse loca domestica, laeva externa. Est igitur, si Pollux dicit periactum dextram loca extra urbem monstrare, laevam loca in urbe et in portu, utriusque partis notio a scena relata. Cum notione dextrae sinistraeque partis hoc modo constituta etiam id consentit, quod O. Müllerus animadvertit in histor. litter. Gr. II. p. 52 ed. alt. theatrum Atticum ita situm fuisse, ut in scena stans urbem et portum habuerit in sinistra, agrum vero in dextra. Sin Pollux paucis interiectis addit: *τῶν μέντοι παρόδων ἡ μὲν δεξιὰ ἀγρόθεν ἢ ἐκ λιμένος ἢ ἐκ πόλεως ἄγει· οἱ δὲ ἀλλαχόθεν πεζοὶ ἀφικνούμενοι κατὰ τὴν ἑτέραν εἰσίασιν*, primum eum iniuria agros immiscuisse locis domesticis, deinde vero etiam nunc utriusque partis notionem a spectatoribus retulisse patet. Verisimile videtur duas has res Pollucem ex duobus auctoribus exscripsisse: ipsum enim parum iudicii prodere compluribus exemplis demonstrari potest[9]).

Priusquam ad Eumenidum fabulam ipsam transeamus, unum etiam generalius praemo-

---

6) Recte enim nihil interesse inter *προσκήνιον* et *λογεῖον* Sommerbrodtiusstatuit p. XXIII.

7) Cf. Poll. IIII, 123: *καὶ σκηνὴ μὲν ὑποκριτῶν ἴδιον, ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ.*

8) Scholl. a. Aristid. III. p. 535. 536, Dind. Phot. s. v. *τρίτος ἀριστεροῦ.*

9) Diversorum auctorum illa apud Pollucem esse etiam G. Hermannus censuit in dissertat. de re scenica in Aeschyli Orestea, in Aeschyl. II. p. 649. Ceterum illud respiciens veteres scriptores ne sibi ipsis quidem semper constare in definienda dextrae sinistraeque partis ratione nunc paullo accuratius decernere mihi videor dextrae sinistraeque partis notionem, quam feceram antea in dissertat. de chori Graecorum tragici habitu externo § 10.

nendum est. De tribus enim scenae portis ita scribit Poll. IIII, 124: *τριῶν δὲ τῶν κατὰ τὴν σκηνὴν θυρῶν ἡ μέση μὲν βασίλειον ἢ σπήλαιον ἢ οἶκος ἔνδοξος ἢ πᾶν τοῦ πρωταγωνιστοῦ τοῦ δράματος, ἡ δὲ δεξιὰ τοῦ δευτεραγωνιστοῦντος καταγώγιον· ἡ δ' ἀριστερὰ τὸ εὐτελέστατον ἔχει πρόσωπον ἢ ἱερὸν ἐξηρημωμένον, ἢ ἄοικός ἐστιν. ἐν δὲ τραγῳδίᾳ ἡ μὲν δεξιὰ θύρα ξένων ἐστίν, εἱρκτὴ δὲ ἡ λαιά.* Recte vero Sommerbrodtius p. XIX ostendit etiam in his, quae de tribus portis sicut in omnibus fere, quae de scena tradat, Pollucem mirum in modum vera falsis admiscuisse. Ut taceam de tribus portis mirabili modo ad tres actores relatis omnino in plerisque fabulis tres fuisse portas accipimus, per quarum mediam aditus ad regiam patuerit. Attamen in omnibus fabulis hae tres portae non locum habent, in compluribus enim una tantum opus est, neque vero, quod et ipse Pollux addit, semper ad regiam ducebat haec media et primaria porta, semper autem ad id aedificium, quod in unaquaque fabula requirebatur, quod saepius etiam templum, ut in Iphigenia Taurica et in ipsa Eumenidum fabula, vel etiam, quamquam rarissime in tragoedia, specus erat, ut in Philocteta. Fabulam, in cuius scenica exornatione omnino porta cogitari non possit, unam tantum invenio Prometheum[10]), qua in fabula cum in rupe pendeat Titan, portae nullum momentum est. Accuratius inquirere in numerum et significationem portarum hic non locus erat, sed haec in universum de tribus portis primariis dicenda putavi. Quibus accedunt duae aliae portae prope parascenia sitae, quae aditum tantum et secessum actoribus praebebant. Cf. quae singulari disputatione de scenae portis exposuit Schoenbornius not. 16 et 17, p. 66—72.

Haec praefanda mihi videbantur, ut recte intellegi posset scenae ratio in Eumenidum fabula, ad quam ipsam explanandam nunc transeo. Repraesentat igitur in hac fabula scena proprie dicta primum templum Apollinis Delphici, in cuius atrio prior fabulae pars agitur. Apparet initio fabulae in proscenio Pythias, quae quia nondum scit, qualis grex cum Oreste in templo consederit, quod vv. 34 sqq. demum comperit, non ex templo ipso prodiisse potest. Videtur igitur in hac fabula porta primaria vel media templi ipsius esse, altera porta a parte huius sinistra, quam loca domestica repraesentare vidimus, ad sacerdotis domum duxisse. Ex hac igitur prodire vatem statuendum est deos adoraturam a v. 1—34 (numeris utor Hermannianis). Ipsa precibus perfectis in templum introituram et vatidicaturam in throno, qui haud dubie erat supra veterem illum umbilicum terrae in templo Delphico positum, consessuram se esse dicit v. 30, id quod etiam factura est post v. 34. Sed postquam vix ad interiora templi vultus vertit, subito terrore perculsa e templo redit et ad spectatores iterum se convertit. Visu enim Furiarum ita perterrita est, ut neque erecta constare neque celeriter amoveri possit sed manuum auxilio se expediat, v. 37 sq. Deinde a v. 41—61 describit quae terribilia in templo viderit: in ipso umbilico sedet supplex vir diis invisus in manibus sanguinolentis gladium modo strictum et ramum oleae lana alba distinctum, supplicum signum, tenens. Hic igitur habitus est, quo post v. 95 Orestes e templo procedit. Deinde Furiae describuntur et comparantur Gorgonibus et Harpyiis, praeter quod alis carent: sunt prorsus nigrae (cf. vv. 348. 367) et terribiles visu, stertunt *οὐ πλαστοῖσι φυσιάμασιν,* ex oculis destillat sanies taetra. Quibus-

[10]) Namque etiam in Oedipo Coloneo porta media recte velata Eumenidum nemus repraesentare potuit, per quam, ut chorus advenit, Oedipus se recipit. Simili modo etiam in aliis fabulis, in quibus huius portae nullum momentum videri posset, de hac statui poterit.

cum consentit descriptio Furiarum in fine Choephororum, vv. 1045—1047. 1055, nisi quod ibi eis etiam serpentes crinibus implexae tribuuntur [11]).

Postquam terribiles has Furias Apollini domino templi curandas permisit vates, de scena decedit v. 65 et consentaneum est eam per eandem, unde venerat, portam egredi. Aperiuntur fores templi, et omnia, quae modo eis descripserat Pythias, nunc ipsi spectatores vident, id quod testatur schol. Medic. ad v. 66: *καὶ δευτέρα δὲ γίνεται φαντασία· στραφέντα γὰρ μηχανήματα ἔνδηλα ποιεῖ τὰ κατὰ τὸ μαντεῖον ὡς ἔχει. καὶ γίνεται ὄψις τραγική· τὸ μὲν ξίφος ἡμαγμένον ἔτι κατέχων* (*καὶ νεοσπαδὲς ξίφος ἔχοντ'* v. 43 sq.) *Ὀρέστης, αἱ δὲ κύκλῳ φρουροῦσαι αὐτόν.* De eccyclemate hoc loco adhibito cogitaverunt G. Hermannus in Aeschyl. II. p. 582. 655 et Sommerbrodtius p. XXX, qui tamen hoc scholion ad v. 97 referendum esse censent, nunc autem templum clausum manere, Apollinem autem cum Oreste et Mercurio de templo exire, et in Opuscc. VI. 2. p. 163 sqq. immo interiora templi spectatoribus plane non monstrari pro verisimili putat Hermannus. Ad v. 97 quidem, ubi Athenas abit Orestes, illud scholion, in quo gladium strictum in manibus tenens et a Furiis circumdatus dicitur, adscribi non potuit, ibi enim Furiae adhuc in templo ipso dormiunt. Ut autem omittam dubitationem, num revera vetus ille interpres verbis *στραφέντα μηχανήματα* eccyclema significaverit, eccyclematis mihi hic omnino non locus esse videtur. Ubi enim *εἰσκύκλημα* statuendum, cuius locum non prius inventum iri credo, quam ubi Athenas abeunt Furiae et Orestes? Et totam fere tragoediae partem Delphis actam in eccyclemate peragi? quis id credibile putet [12])! Dormiunt Furiae in templo ipso usque ad parodi initium, ubi insiliunt ad quaerendum Orestem, quod etiam in templo ipso facere eas consentaneum est [13]), id quod spectatoribus in scena ipsa monstrandum erat. Equidem, cum templum aperiendum sit, nullam caussam iustam video, cur id quod tradit vetus schol. dubitem. Profecto ita est aptissimum, ut, postquam secessit Pythias, aperiantur fores templi, conspiciantur Furiae et Orestes ea conditione, qua illa descripserat, et nunc appareat Apollo illum consolaturus et adiuturus cum fratre Mercurio, quem adesse vv. 92 sq. docent. Puto autem, quamquam haec res est maxime dubia, templum apertum esse spectatorum oculis subtractis picturis scenae ductilis, quae monstrabant murum templi ad spectatores spectantem [14]).

Post v. 96 Orestes et Mercurius iussus ab Apolline Orestem prosequi Athenas petituri in peregrinitatis partem abeunt, atque etiam Apollinem de scena decedere consentaneum est, cum sequens tragoedia pars acta inter Clytaemnestrae umbram et chorum atque insequens

---

[11]) Cf. Paus. I, 28, 6: *πρῶτος δέ σφισιν* (scil. *Ἐρινύσιν*) *Αἰσχύλος δράκοντας ἐποίησεν ὁμοῦ ταῖς ἐν τῇ κεφαλῇ θριξὶν εἶναι.* Ceterum recte O. Müllerum statuisse puto in fine Choephororum revera Furias ab Oreste et spectatoribus conspici, etiamsi chorus se eas videre dissimulat.

[12]) Quae omnia perite et eleganti cum iudicio exposuit O. Müllerus in Eumenidum ed. p. 104 sq. Etiam Schoemannus inde a v. 66 scenam templi interiora repraesentare statuit.

[13]) Cf. quae statim disputaturi sumus de hac re.

[14]) Schoenbornius p. 209 sq. conspici quidem Furias vult post v. 65, sed repraesentari eas spectatorum oculis putat in duobus eccyclematis, ipse quidem concedens duorum eccyclematum neque mentionem neque ullum exemplum extare. Ego prorsus non video, cur ita pro eccyclemate contenderint viri docti, cum voce *μηχανημάτων* omnes machinae significari possint et revera aptius hic videatur Furias monstrare apertis templi foribus.

chori parodos eius nihil intersint[15]). Per *ἀναπίεσμα* nunc Clytaemnestrae umbram cum vulnere in pectore, quod monstrat v. 106, ex hyposcenio, quod igitur in hac fabula Tartari instar est, escendere statuerunt G. Hermannus in Aeschyl. II. p. 584. 587. 655 et Sommerbrodtius p. XXXIX. Per anapiesma autem Poll. IIII, 142 narrat Furias, fluvium vel similes personas subito in scenam emersisse. Patet autem in nostra tragoedia Furias non per anapiesmata escendisse: nam iam ab initio fabulae in scena sunt[16]). Attamen idem ille Pollux de scalis Charoniis haec addit: *αἱ δὲ χαρώνιοι κλίμακες κατὰ τὰς ἐκ τῶν ἑδωλίων καθόδους κείμεναι, τὰ εἴδωλα ἀπ᾽ αὐτῶν ἀναπέμπουσι*, ubi Sommerbrodtius scribere vult *κατὰ τὰς τῶν εἰδώλων καθόδους* pro *κατὰ τὰς τῶν ἑδωλίων καθόδους*, mutatione leni et apta, cui si adieceris *ἀποθανόντων* pro *ἀπ᾽ αὐτῶν*, totus Pollucis locus perspicuus fit. His igitur scalis Charoniis, nisi forte unum idemque fuerunt anapiesma et scalae Charoniae, id quod equidem verisimillimum puto atque etiam Hermannus suspicatus esse videtur, postquam Clytaemnestrae umbra escendit, inde a v. 97 cum Furiis adhuc dormientibus et nonnisi per fremitus et gemitus senarios interrumpentibus verba facit usque ad v. 142, post quem per easdem scalas Charonias vel anapiesma, unde venerat, iterum in Tartarum descendit[17]).

Parodus chori, de qua accuratius circumscribenda disseram in altera huius dissertationis particula, ab eo incipit, ut invicem se expergefaciant Furiae et exhortentur ad Orestem quaerendum. Hoc eas facere in scena, quae templum repraesentat, et rem ipsam docere iam indicavi — consentaneum enim est eodem loco Orestem ab eis quaeri, quo somno captas ille dereliquerat, aliterque vix fieri potuit — et aperte patet ex vv. 178 sqq., ubi iterum Apollo apparet Furias compellens et e templo eiciens. Sed aliter visum viris doctis. G. Hermannus enim in Opuscc. VI. 2. p. 164 sq. et in Aeschyl. II. p. 590 Furias canticum illud in orchestra recitare contendit. Videtur igitur ita statuere, ut, postquam excessit Clytaemnestrae umbra, Furiae in orchestram irruant Orestem quaesiturae et ibi demum verba faciant. Schoemannus partem in orchestram statim irruere vult, partem in templo remanere, donec expellat Apollo, atque idem videtur Franzius probare[18]). In censura Mülleri Hermannus ne expergefieri quidem Furias in scena vult, quod tamen, cum ibi dormiant, cui rei ipse Hermannus non obest, alio loco facere non possunt. Et illud ipsum, quod parodos ab eo incipiat, ut se invicem expergefaciant, docere debuit initium certe huius cantici in scena esse recitatum. Et cum inter hoc canticum summa cum animi commotione pronunciatum, quod recte inter quindecim choreutas dividit Hermannus, vix locus sit vel uni in orchestram abeundi, atque cum post canticum finitum Apollo appareat e templo eas pellens, haud nimium, credo, conabimur statuentes totam parodon in scena esse recitatam. Hermannus cum contendat Furias parodon iam in orchestra

---

[15]) Non autem in templum redire, quippe ubi sint Furiae, quas aversetur, Apollinem sed per *παρασκήνια* decedere recte monet Schoenbornius p. 207 sq.

[16]) Quaestionem de *ἀναβαθμοῖς*, quibus Furiae prosiluisse dicuntur, quod in nostra fabula fieri non potuisse patet, nunc quidem intactam relinquo.

[17]) Neque anapiesmatis neque scalis Charoniis usam Clytaemnestrae umbram facit Schoenbornius p. 211, sed per interiora templi advenire. Sed dum illud urget Clytaemnestrae tamquam umbrae gressu leni tamquam aere libratae adveniendum ese, alterum illud, quod longe gravioris momenti videtur, neglegit, quod ab inferis escendunt umbrae.

[18]) Cuius haec sunt verba: „Ein Theil der Erinnyen stürzt sogleich aus dem Tempel hervor und in die Orchestra hinab, die andern folgen später.“

recitare, praecipue nititur in v. 194, ubi non decere Furias in vicinis sacris commorari Apollo dicit, quibus templi περίβολον significari censet. Sed etiam hoc mihi nihil contra sententiam modo expositam facere videtur. Aut enim revera cum Pauwio πλησίοισι mutandum in πλουσίοισι — quomodo enim antro leonis templum dives non recte opponatur, non assequor. Aut denique, id quod mihi omnium maxime probabile videtur, inter prima Apollinis verba Furias e scena in orchestram irruere atque ibi stationem capere statuendum est. Tunc v. 195 etiam de orchestra, quae revera est pro περιβόλῳ templi, cedere iuberi possunt. Id quidem me non intellegere fateor, cum Hermannus hic omnem argumentationis vim in voce πλησίοισι ponat, quomodo τάδε δώματα v. 178 et μαντικοὺς μυχοὺς v. 179, quos relinquere Furiae iubentur, non de templo ipso esse intellegenda sibi persuasum habuerit. Si igitur statuimus inter verba Apollinis inde a v. 178 Furias in orchestram irruere, sequentem cum Apolline sermocinationem inde habet coryphaea, post quam finitam v. 230 totus chorus de orchestra in peregrinitatis partem Athenas abit, et post tres senarios v. 233 sequitur eum de scena decedens Apollo. Finita igitur est prima tragoediae pars Delphis acta.

Cetera fabulae pars a v. inde 234 Athenis peragitur. Apollinis enim iussum (v. 83) secutus Orestes supplex ad Minervae simulacrum (vv. 241. 256. 401. 431 sq. 438) consedit[19]). Mercurii, qui eum iussu Apollinis Athenas comitatus suas partes agit, non amplius mentio fit. Recte igitur omnes viri docti, qui de Eumenidum re scenica aliquid protulerunt, O. Müllerus, G. Hermannus, Schoemannus, Franzius, Sommerbrodtius unanimo consensu statuerunt scenam templum Minervae ipsum in arce Athenarum situm repraesentare[20]). Id tantum quaeritur, quomodo facta sit haec scenae mutatio. Atque Sommerbrodtius quidem p. XXI. sq. satis habet mutare scenam versilem sive periactos, cum in utraque fabulae parte templum demonstret scena ductilis. Pollucis autem, in quibus nititur, verba[21]): εἰ δὲ ἐπιστραφεῖεν αἱ περίακτοι, ἡ δεξιὰ μὲν ἀμείβει τὸ πᾶν, ἀμφότεραι δὲ χώραν ὑπαλλάττουσιν, minus perspicua sunt. Quoniam latus dextrum peregrinitatis est, id aptum videatur, quod dextra periactus conversa mutare dicitur τὸ πᾶν, quod quomodo aliter intellegatur quam ut tota dramatis scena alia fiat, non video. Sed quo iure, quaeso, hisce opponitur ambas periactos conversas mutare χώραν? Quae si aliud significare debent ac priora, χώρα pars tantum τοῦ παντός esse potest. Sic igitur fortasse intellegenda essent, ut mutari quidem scena, tota autem regio vel terra eadem manere et alia tantum huius terrae pars monstrari dicatur. Sed nonne mirum est una periacto conversa totum agendi locum transferri, ambabus vero alium tantum eiusdem regionis locum repraesentari? Videtur igitur hic quoque Pollux diversa perturbasse, id quod in omnibus fere, quae de re scenica tradit, si accuratius in ea inquisiveris eum fecisse et ostenderunt viri docti et ipse ex parte vidi[22]). Sed semper tum aliquid veri

[19]) Quaestionem, utrum per orchestram advenerit et per scalas scenam ascenderit Orestes, quod actoribus peregre advenientibus faciendum fuisse tradit Poll. IIII, 127, Sommerbrodtius autem p. XI nunquam factum putat, an per parascenium, atque dextrum quidem, cum e peregrinitatis parte eum venire constet, hanc quaestionem nunc quidem omittam.

[20]) Contra disputavit nuper Schoenbornius p. 213 sqq., sed artificiosius quam verius disputasse mihi videtur.

[21]) IIII, 126.

[22]) „Miro modo — in plerisque, quae Pollux de scena tradit, falsa veris sunt admixta", dicit Sommerbrodtius p. XIX.

latet in eis, quae tradit, quod hic ita statuendum videtur: periactum dextram a spectatoribus visam — nam in duarum partium relatione non sibi constare Pollucem vidimus — quippe quae repraesentet loca domestica, conversam alium eiusdem regionis locum monstrasse (ὑπαλλάττειν χώραν), ambabus conversis universum dramatis agendi locum, quem nos dicimus „schauplatz der handlung", mutatum esse. Si talem statuimus rationem periactorum conversarum, omnino hic non opus est mutare scenam ductilem, cum satis sit convertere duas periactos, in quarum diversis lateribus diversae erant picturae (σκηνογραφίαι) affictae, si simul inferebatur Minervae simulacrum. In Minervae igitur templo agitur Eumenidum fabula inde a v. 234—554. Post paucos Orestis senarios „introeunt Furiae σποράδην in orchestram"[23]), quae est chori epiparodos[24]), primum Orestem non videntes, quod docent vv. 251—254. Conspiciunt eum v. 255, non autem in scenam irruunt, sed in orchestra remanent ibique inter recitandum carmen a v. 255 —272, de cuius nomine et distributione v. partic. II, paullatim stationem capiunt. Interiectis deinde senariis postquam ὕμνον δέσμιον cecinerunt Furiae, v. 398 Minerva advenit, ut ipsa dicit, longinque a Scamandro, ubi audierit Orestis preces. Sed quomodo in theatro appareat, valde dissenserunt viri docti. Ipsa quidem describit, quomodo per aerem vecta sit, sed intellectu difficiliora sunt poetae verba. Ad v. 396 vetus extat interpretamentum in scholiis servatum: ὡς ἅρμένῳ χρωμένῃ τῇ αἰγίδι, idque haud dubie rectum est. Dicit igitur Minerva migrasse se per aerem adiuvantem indefessorum pedum cursum vibrata aegide. Quocum parum conveniunt equi, quibus vectam secundum librorum lect. se advenisse dicit v. 397. Ex his πώλοις fluxisse quae ad v. 389 in scholl. adnotata sunt: ἐπὶ ὀχήματος ἔρχεται, Hermannus vidit. Müllerus quidem p. 112 hunc currum cum aegide pro velo usurpata consociavit, sed procul dubio recte iudicavit G. Hermannus in Opuscc. II. p. 175 sq. πώλων hic non esse locum et summo cum iure Wakefieldium scripsisse κώλων[25]). Id adoptavit Sommerbrodtius quoque p. XXXVI simul docens in machina advenire Minervam, quam machinam deos per aerem advenientes monstrare Poll. IIII. 128, veluti, cuius exemplo utitur Pollux, Bellerophontem Pegasi alis elatum, vel Oceanidas et Oceanum ipsum in Prometheo. Ceterum patet Minervam a peregrinitatis parte advenire.

Post sermocinationem inter Minervam, chorum, Orestem habitum illa abit iterum ad iudicium se venturam esse optimos civium suorum iudices sortitam pollicita, v. 482. Non autem cum G. Hermanno in Aeschyl. II. p. 609. 655 putaverim in interiora templi Minervam nunc se recipere, ubi nunc nihil ei negotii est. Sed id quidem recte Franzium statuisse puto Minervam abire in domesticam partem: quamquam enim, id quod obtinet Hermannus, in templo suo iam domi est, tamen iudices in urbe ipsa ei sortiendi erant. Illud vero Franzio non crediderim, eam per aerem, sicut advenerat, in machina igitur abire. Equidem potius, quamvis in verbis poetae ipsius nullum huius rei vestigium sit, tamen mihi persuasum habeo eam aut ante primam eius orationem, ante v. igitur 389, aut, id quod magis etiam probandum videtur, statim post illam finitam, post igitur v. 406, de illa machina descendere reliquaque stantem in

[23]) Ita G. Hermannus ad hunc v. in Aeschyl. II. p. 594. Disseram de hac re in partic. III.

[24]) Cf. Ferd. Ascherson: „De parodo et epiparodo tragoediarum Graecarum", Berol. a. 1856. p. 28.

[25]) Contra quidem disputavit, sed, ut recte dicit Schoemannus, non refutavit Wieselerus p. LXXXIII sqq. not. 77.

proscenio pronuntiare, ex quo ei igitur v. 482 decedendum est[26]). Post Minervae decessum carmen cantat chorus inde a v. 483—554 post quod cantatum in Areopagum ipsum transferri fabulae scenam primus G. Hermannus contendit in Opuscc. VI. 2. p. 170 sqq. Quae res vix videtur iustis de caussis dubitari posse. Praeter enim mythorum, religionis reipublicaeque rationes, quas exposuit Hermannus, aperte Minervae oratio, qua initiat Areopagi iudicium (vv. 673—703) docet rem alibi agi non potuisse atque in ipso Areopago. Nam etsi cum Hermanno v. 680 scribimus *πάγος δ' ὄρειον* (pro *Ἄρειον*), quod habet verisimilitudinis speciem, tamen mentio collis Areopagi tamquam praesentis non excidit, memoratur enim v. 685. Iudicium igitur de Oreste fabulas veteres secutum in ipso Areopago ab Aeschylo institui[27]). Hermannum secuti obtinuerunt Schoemannus, Franzius, Sommerbrodtius: quod autem contra monet Wieselerus p. XC sq. not. 87, Orestem et Furias non egredi, nihil probat. Dum enim mutatur scena, quidni remaneant in orchestra Furiae? Orestem autem non secum abduxisse putanda est dea, sed et ipse in scena remanet inter eius mutationem, quae quomodo facta sit, paucis iam exponendum erit.

Namque aulaeo obducto spectatorum oculis ad tempus subtrahi scenae aspectum putat Schoemannus. Quod sane hic aptissimum esset, si aulaei usus in veterum Graecorum theatro comprobari posset. Recte autem vidit Hermannus in commentatione „de re scenica in Aeschyli Orestea“ in Aeschyl. II. p. 656 aulaea et peripetasmata, quae a veteribus scriptoribus commemorentur, aut omnino non ad theatrum spectare, veluti Hyperidis, aut, si eo spectant, picturas significare in scena ductili, aut denique ad Alexandrinorum vel Romanorum theatrum esse referenda. Videtur igitur hic et in scena ductili alia inducta pictura, et periactus dextra a spectatoribus visa (sinistra igitur a scena) quippe quae nobis[28]) monstrare videbatur alium eiusdem regionis locum (*ὑπαλλάττειν χώραν*) conversa esse, praetereaque removendum erat Minervae simulacrum. Dum omnia haec in scena aguntur, in ea remanere Orestem statuendum est.

Denuo v. 555 intrat proscenium, nunc a parte domestica, Minerva cum iudicibus, de quorum numero statuam partic. IIII, et cum praecone, qui per tubae sonum populum convocare iubetur. Recte autem Müllerus p. 107 censet turbam hominum non apparere in scena aut in orchestra, sed populum ipsum, qui adsit in theatro, huius etiam in fabula populi partes repraesentare. In antiqua enim tragoedia multo propius, quam fit in nostra, accedebant spectatores ad fabulae personas, cum fere maiorum suorum in scena res repraesentatas viderent. Ita in nostra fabula opus est populo Atheniensi, atque ipse qui adest in theatro populus Atheniensis huius suscipit partes. Permirum autem est Mülleri inventum, quod iudices in orchestra ponit, haec enim solius chori erat, neque unquam histriones eam intrasse, si omittimus adhuc illud quod Pollux tradit personas peregre advenientes per orchestram scenam ascendisse, quae res mihi nondum ad certum discrimen pervenit, Sommerbrodtius recte docet p. X sq.

Praeco postquam munus sibi mandatum perfecit, scenam relinquere putandus est. Iam lege fit iudicium. Partes sunt Furiae et Orestes, huius patronus Apollo, qui quando advenerit

---

[26]) Post v. demum 482 de curru, quem schol. ad v. 389 secutus statuerat ante, deam descendere, ut de scena abeat, facit Wieselerus p. XC.

[27]) Cum post v. 475 aliquid intercidisse recte mihi Hermannus statuere videatur, fortasse etiam ibi Areopagi mentio facta erat, ut Minerva partes duas iussisset illinc sententiam accipere.

[28]) V. p. 17 sq.

non certum est indicium: id patet eum ante v. 563, ubi chorus alloquitur, scenam a peregrinitatis parte intrasse. Monet Minervam (v. 570), ut tamquam praeses iudicium instruat. Quod facit illa v. 572 et prius accusantem rem exponere iubet. Respondet choro Orestes postremoque v. 599 Apollinem sibi testem invocat. Inde a v. 604 inter Apollinem et Furias res agitur. Partibus auditis et iudicibus a Minerva et choro monitis, ut iustum dent suffragium, Areopagi iudicium in omne tempus parricidium iudicaturum instituit Minerva vv. 673 sqq. In fine orationis iudices, qui nunc facti sunt Areopagitae, iussi calculos ferre suffragia dant. Quomodo vero hoc factum sit, quia enarrare longum est, in singulari disputatione (partic. IIII) mihi exponere proposui.

Finito iudicio Minerva absolutum esse Orestem pronunciat v. 744. Is postquam allocutus est cives Atticos aeternumque Argivorum cum Atheniensibus foedus promisit, Argos abit in peregrinitatis partem v. 769: atque cum eo etiam Apollo scenam relinquere videtur[29]). Areopagitas autem remanere v. 936 ostendere recte Hermannus adnotavit. Sequitur tragoediae pars inter Furias et Minervam acta inde a v. 770—1002, in qua primum valde increpant recentiorum deorum potentiam, sed paullatim a Minerva leniuntur fiuntque ex *Ἐριννύσιν Εὐμενίδες*. V. 879 accepturas se sedes, quas in terra Attica Minerva eis proponit, indicant et prorsus placatas se profitentur v. 887, sed terribilem habitum larvasque, quibus indutae initio fabulae prodierant, nondum eas deposuisse docent vv. 972 sq.

In fine fabulae *προπομπῶν* chorus in orchestra[30]) apparet. Primum compellantur a Minerva v. 987, itaque iam antea inter cantum chori eos — puto enim non solum mulieres fuisse in hac pompa — advenisse consentaneum est. Descendit Minerva, ut ducat pompam, quod et ipsa dicit v. 985 et ego in singulari de hac pompa disputatione accuratius mihi probandum proposui, in orchestram post ultimam eius orationem: atque cum hac pompa una cum choro ex orchestra proficiscente finitur fabula.

II.

De Eumenidum fabulae partibus ex lege Aristotelea constituendis.

Omissis controversiis, quae nunc sunt inter viros doctos de poetice et inprimis de capite eius duodecimo, num sit Aristotelis[31]) — ad id me converto, ut posita huius capitis ori-

---

[29]) Ita et Hermannus et Wieselerus, iam post v. 745 Apollinem decedere faciant Schoemannus et Franzius. Recte autem Wieselerus p. CXXII. not. 122 animadvertit incredibile esse Apollinem usque ad finem fabulae remanere neque id, quod Furiae sequentem common ab eo incipiant ut conviciis afficiant deos recentiores, id statui cogere.

[30]) Cf. „de chori Graecorum tragici habitu externo“ p. 38 et huius dissertationis partic. V.

[31]) De quibus controversiis exposuit Leopoldus Schmidtius in Iahnii Anall. vol. LXXV. 10. a. 1857. p. 713—725.

gine Aristotelica Eumenidum fabulam ex sententia Aristotelis in partes dividam — ex sententia dico, ex verbis enim illius capitis Eumenidum fabula iuste dividi nequaquam potest, atque ut dicam quod sentiam, caput illud hisce conceptum verbis, quibus nobis traditum est, ab Aristotele esse profectum vix crediderim.

Iam prologus ubi sit finiendus non patet propter gemitus illos et fremitus, quos aut in fine prologi aut initio parodi edunt Furiae. Quos satis ingeniose pro antistrophicis habet G. Hermannus in Aeschyl. II. p. 585. Putat enim duos gemitus vv. 120 et 123 sibi respondere, itemque duos fremitus vv. 126 et 129 et duplicem illum gemitum acutum (v. 132) una cum eis, quae somnians loquitur chorus v. 133, esse pro epodo. Si verum est ingeniosum hoc et elegans Hermanni inventum, certe etiam antistrophici trimetri illi, quos inter chori gemitus et fremitus pronuntiat Clytaemnestrae umbra, ita ut ad gemitum strophicum referendi sint vv. 121 sq., ad gemitum antistrophicum vv. 124 sq., ad fremitum strophicum vv. 127 sq., ad fremitum antistrophicum vv. 130 sq. Ultimi Clytaemnestrae vv. (134—142) tunc cum duplici gemitu acuto et illo λάβε, λάβε, λάβε, λάβε, φράζου epodum efficerent. Itaque sic circumscribenda esset haec tragoediae pars: στρ. ά. vv. 120—122. ἀντιστρ. ά. vv. 123—125. στρ. β́. vv. 126—128. ἀντιστρ. β́. vv. 129—131. ἐπῳδ. vv. 132—142.

Iam quaeritur, quo haec antistrophica referenda sint, utrum ad prologum adhuc an ad parodum. Negari non potest posse parodon iam a primo gemitu (v. 120) referri; cum vero praeter gemitus et fremitus et imperativos illos in somno etiam a Furiis editos: λάβε, λάβε λάβε, λάβε φράζου, antistrophica illa ex Clytaemnestrae tantum senariis constent cumque apud Aeschylum certe histrionum senarii parodo inmixti non inveniantur[32]), tamen ita statuendum puto, ut parodos incipiat a v. 143, prologus autem usque ad v. 142 extendatur. Recte enim, utcunque statuetur in universum de trimetris vel anapaestis chori integra eius cantica praecedentibus vel excipientibus, hic tamen chori tres trimetri (vv. 143—145) ad parodon ipsam referentur, cum artissime cohaereant cum sequentibus, atque in stropha et antistropha prima ipsa vv. secundus et quintus (147. 150. 153. 156), in secunda primus (158. 164), in tertia item primus (170. 174) et ipsi sint trimetri. Ceterum hic ipsa res docet, cum se invicem expergefaciant Furiae et in templo ipso (ibi enim eas hanc parodon, quae igitur est a v. 143—147, recitare statuimus p. 14 sq.) singulae Orestem quaerant, parodon hic a singulis cantari, commaticam igitur esse. Omnium autem, quae prolatae sunt, divisionum maxime mihi Hermanniana commendatur, atque ita quidem ut tres illi trimetri (vv. 143—145) coryphaeae et ternae strophae et antistrophae ex Hermanniana ratione divisae ceteris quattuordecim Furiis.

Prologi et parodi finibus circumscriptis venimus ad ceteras tragoediae partes, quarum tamen etiam difficilior est ratio. Quid enim? Episodium primum num dicamus illam tragoediae partem incipientem inde a v. 178, in qua unus qui adhuc in scena remanserit actor, una cum choro decedat v. 233, et interiecto aliquo temporis spatio, tametsi non tanto, quantum vult Müllerus p. 106, factaque scenae mutatione et Orestes et chorus iterum appareant? Haec omnia in eandem tragoediae partem conferta esse spatii illius interiecti prorsus ratione nulla habita? Quod equidem vix Aeschylo tribuerim. Sed potius, cum totus actionis locus (schauplatz der handlung) Delphis Athenas transferatur, mihi non inepte videor statuere hanc tragoediae partem inde a v. 178—233, in qua omnes egrediuntur, id quod fit in exodo, exodon

---

32) Unicam parodon, cui histrionum senarii inmixti sint, invenio Euripidis Heraclidarum.

priorem dicens. Post hanc nova incipit actio Athenis. Statuendus igitur alter prologus inde a v. 234, qui etiam quibus finibus circumscribendus sit, dubitatur. V. enim 243 chori est epiparodus, ut partic. III mihi probandum erit, σποράδην facta. Iam eadem hic oritur quaestio, num senarii illi (vv. 243—252) ad epiparodon ipsam sint referendi, ad quam revera referendi videntur. Ceterum, si recte dividit Hermannus hoc carmen in septem cola, tum sic statuendum videtur, ut senarios praecedentes pronunciet coryphaea sola irruens ceteras ut sequantur hortans, tum inde a v. 253 unum quodque colon binae Furiae. Quam divisionem praeter quod optime convenit cum chori ingressu σποράδην facto, etiam id commendat, quod unumquodque Furiarum par praeter primum et secundum a senario incipiat. Ex hac igitur ratione, qualem exposuimus, nunc sequitur episodium primum inde a v. 273. Sed esse hanc rationem de duplici exodo et prologo maxime dubiam et intricatissimam ipse non dissimulo. Cui igitur speciosior quidem sed audacior quam verior videtur, ei statim post parodon episodium primum statuendum est tendens usque ad epiparodon. Quae igitur ab epiparodo sequuntur, tali modo dividenti essent episodium alterum. Cum vero etiam ratio epiparodi, num sit pars integra tragoediae, quod quidem censet Ferd. Ascherson l. c. p. 31, nequaquam constet, potest is, qui exodon et prologum duplicem non agnoscat, totam epiparodon ad primum episodium referre, itaque in huius fine nobiscum iterum consentiret. Huius autem episodii finem esse censeo v. 303, atque hic senarios chori a v. 296 —303 non pertinere ad sequens canticum. Hoc enim canticum est celeber ille ὕμνος δέσμιος, quem se canturum esse ipse chorus dicit v. 303; cum hoc igitur nihil commune habere possunt senarii illi, quos cum G. Hermanno dividendos inter tres Furias, atque quidem coryphaeas et hemichoriorum duces censeo. Contra anapaesti (vv. 304—318) qui praecedunt quattuor ὕμνου δεσμίου stropharum et antistropharum paria, ab illo ipso non videntur secernenda: statim enim sequuntur hymni indicium. Ceterum inter recitandum hunc hymnum chorum motus saltatorios facere, ut vinciat Orestem, unde ipse nomen hymni explicat, par est, quod et ipsae exprimunt Furiae per initium hymni: ἄγε δὴ καὶ χορὸν ἅψωμεν. Est igitur ὕμνος δέσμιος orchesticon loco stasimi.

Ὕμνον δέσμιον sequitur episodium secundum inde a v. 389—482, tunc stasimon primum, aut si ὕμνον δέσμιον numeras, secundum a v. 483—554, deinde episodium tertium, cuius ubi sit finis iterum est dubium. Namque inde a v. 770 longus sequitur chori commos interruptus idem a Minervae trimetris, qui eidem omnes videntur antistrophici esse. Singulae autem loquuntur Furiae, et recte Hermannus in prima stropha (vv. 770—782) et antistropha (vv. 797—809) octona videtur disposuisse dicta: possent enim etiam novena discerni, cum quae secundae et nonae adscripserit Hermannus, inter binas dividi possint: sed tum nulla iusta chori divisio fieri posset. Ex Hermanniana autem dispositione coryphaeae strophae et antistrophae priores duo versus, quorum alter est senarius, pronunciandi sunt, cetera autem strophae septem dicta a singulis alterius hemichorii choreutis recitantur, itemque septem antistrophae dicta a singulis alterius hemichorii. Eodem modo huius commi stropham alteram (vv. 823—833) cum eius antistropha (vv. 857—867) inter octonas personas dividit Hermannus [33]), qua in divisione id tan-

[33]) Recte mihi Hermannus alterum illud φεῦ, quod libri post ἄτιειον (v. 826) habent, posuisse post πνέω τοι μένος et quartae adscripsisse Furiae videtur. Per solum enim φεῦ a voce μύσος, quo pertinet ἄτιετον, tunc tantum secerni poterat, cum ab eadem persona pronunciabatur. Id vero si statuimus, iusta dictorum dispositio perturbatur.

tum mutatum velim, ut ultimi strophae et antistrophae versus (831—833. 865—867) tribuantur coryphaeae. Omnes enim priores exclamationes fere tantum edunt, haec autem ultimo loco sententiam dicens omnes iniurias, quibus affecisse se deos recentiores queruntur, paucis comprehendit, et matrem Noctem adiutricem invocat.

Stropham secundam sequitur oratio Minervae ex viginti duobus versibus (834—856) constans, qua in oratione mihi quidem iure suo G. Hermannus post v. 842 videtur unius versiculi lacunam statuisse. Cum tamen v. 835 uncis incluserit, numerus versuum non mutatur. Post antistropham alteram item sunt versus viginti duo, quorum undecim priores (868—878) solius sunt Minervae, posteriores undecim (879—889) *κατὰ στιχομυθίαν* divisi inter chorum et Minervam. Quos versus viginti duos alteris illis post stropham respondere patet. Cum igitur stropham et antistropham alteram excipiant senarii et ipsi antistrophici, etiam senarios stropham et antistropham priorem sequentes sibi respondere eo est probabilius, quod stropha uno tantum versu abundat; in stropha enim sunt quattuordecim, in antistropha tredecim Minervae versus. Ita etiam fit probabilius, quod Hermannus iam solum propter sensum probabile putaverat, ut vv. 790. 791 eiecto languido illo *μὴ θυμοῦσθε, μηδ' ἀκαρπίαν τεύχητε*, in unum coalescant.

Sed quaestio iam oritur de hoc commo constanti ex duobus stropharum et antistropharum paribus adiunctis senariis sibi respondentibus, num sit integra pars tragoediae. Posset esse pars episodii, id quod potissimum ea re firmari posse videtur, ut quomodo statuendum sit de tredecim illis Minervae versiculis excipientibus senarios sibi respondentes (890—902) in ambiguo sit. Attamen ita si statueremus, cum episodium tertium a v. 555—902 extensum iusto longius esset, tum postquam id, quo primum poeta intenderat, iudicium de Oreste finitum est, nunc chori canticum integram partem tragoediae efficiens licet id interruptum ab histrionis versibus sequi par erat. Itaque, cum utrique strophae et antistrophae adiuncti sint senarii sibi respondentes, undecim illos, qui praeterea sequuntur, versiculos pro epodo habendos puto. Hac ex ratione finitur tertium episodium v. 769 et sequitur commos actus inter chorum et Minervam (vv. 770—902), quem, quia excurrit in trimetros, statim alterum chori canticum idem illud interruptum a Minerva sequi potest, quod est loco ultimi stasimi, a v. 903—1002. Deinde sequitur exodos altera, quae complectitur *προπομπῶν* pompam, inde a v. 1003—1027.

Partes igitur, quas statuendas puto in Eumenidum fabula, ut paucis comprehendam, hae sunt: I. Prologus prior a v. 1—142. II. Parodos a v. 143—177. III. Exodos prior a v. 178—233. IIII. Prologus alter a v. 234—242. V. Epiparodos a v. 243—272. VI. Episodium primum a v. 273—303. VII. *Ὕμνος δέσμιος* a v. 304—388. VIII. Episodium alterum a v. 389—482. VIIII. Stasimon a v. 483—554. X. Episodium tertium a v. 555—769. XI. Commaticum a v. 770—902. XII. Commaticum alterum a v. 903—1002. XIII. Exodus posterior a v. 1003—1027. Personarum denique distributio, ut hanc adiciam, in hac fabula nullam movet difficultatem, cum partium primarum sit Orestes, secundarum Apollo, tertiarum Pythias, Clytaemnestra, Minerva.

III.

De Furiarum ingressu *σποράδην* facto et terrore, quem is incussisse spectatoribus fertur.

Duplex extat testimonium, quomodo Aechylus Furias introduxerit, alterum apud Pollucem, alterum in Aeschyli vita servatum. Pollux enim IV, 110 ita scribit: *τὸ δὲ παλαιὸν ὁ τραγικὸς χορὸς πεντήκοντα ἦσαν ἄχρι τῶν Εὐμενίδων Αἰσχύλου· πρὸς δὲ τὸν ὄχλον αὐτῶν τοῦ πλήθους ἐκπτοηθέντος συνέστειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττω ἀριθμὸν τὸν χορόν.* Summo autem iure hunc quinquaginta personarum chorum in tragoedia ipsa reiecisse et ad dithyrambos videtur retulisse G. Hermannus in dissert. II de choro Eumenidum in Opuscc. II, p. 140. Cf. quae exposui de necessitudine inter chorum tragicum et dithyrambicum in dissertatione mea saepius illa citata §. 8, p. 33 sqq., ubi hisce dithyrambis addendam censui tragoediam lyricam. Sed utcunque haec res se habet, id prorsus incredibile videtur chorum quinquaginta personarum in tragoedia obtinuisse usque ad Oresteae commissionem factam Ol. 80, 2 et tunc demum lege abrogatum esse, quia populus terrore perculsus fuerit tanto Furiarum numero. Si igitur sano adhibito iudicio iam satis mirabilia videntur quae Pollux tradit, quid de illis miraculis dicamus, quae Eumenidum commissioni adiungit scriptor vitae Aeschyli narrans hoc: *τινὲς δέ φασιν, ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν Εὐμενίδων σποράδην εἰσαγαγόντα τὸν χορὸν τοσοῦτον ἐκπλῆξαι τὸν δῆμον, ὡς τὰ μὲν νήπια ἐκψῦξαι, τὰ δὲ ἔμβρυα ἐξαμβλωθῆναι.* Ficticia haec esse quis non primo aspectu viderit? Ita satis multa de excellentibus poetis et scriptoribus ficticia narrari solita sunt, quales narrationes nos dicimus „anecdoten“. Sed plerumque etiam sub talibus narrationibus ficticiis aliquid veri latere solet, idque quale hic fuerit facile dignosci potest. Patet enim Aeschylum revera Furiarum choro populo permagnum terrorem iniecisse et hoc ex terrore memoriae prodito alterum grammaticum sibi finxisse magnam Furiarum multitudinem, alterum vel cogitasse de infantium morte et abortibus in ipso theatro editis. Si conferimus, quae uterque grammaticus de Eumenidum commissione tradit, id inde consequi videtur duplici ratione ab Aeschylo effectum esse hunc terrorem, insolito Furiarum numero et *σποράδην* introducendo. Primum quid de insolito numero statuendum sit videamus. Iam quod impietatis accusatum Aeschylum scimus, a nonnullis eo relatum est, ut teste Polluce quinquaginta Furias in scenam produxerit, quo facto veteres religiones violaverit, cum tres tantum crederentur Furiae. Est igitur circumspiciendum, qualis fuerit illa impietatis accusatio. Alicuius dramatis caussa Aeschylum accusatum, absolutum autem esse, cum frater eius Aminias bracchium manu orbatum in pugna Salaminia iudicibus ostenderit, Aelianus narrat V. H. V, 19: *Αἰσχύλος ὁ τραγῳδὸς ἐκρίνετο ἀσεβείας ἐπί τινι δράματι. ἑτοίμων οὖν ὄντων Ἀθηναίων βάλλειν αὐτὸν λίθοις, Ἀμεινίας ὁ νεώτερος ἀδελφὸς, διακαλυψάμενος τὸ ἱμάτιον, ἔδειξε τὸν πῆχυν ἔρημον τῆς χειρός. ἔτυχε δὲ ἀριστεύων ἐν Σαλαμῖνι ὁ Ἀμεινίας, ἀποβεβληκὼς τὴν χεῖρα, καὶ πρῶτος Ἀθηναίων τῶν ἀριστείων ἔτυχεν. ἐπεὶ δὲ εἶδον οἱ δικασταὶ τοῦ ἄνδρος τὸ πάθος, ὑπεμνήσθησαν τῶν ἔργων αὐτοῦ καὶ ἀφῆκαν τὸν Αἰσχύλον.* Ne quis miretur quod propter misericordiam, quam frater eis iniecerit, Aeschylum absolvisse iudices dicantur: hoc enim quam maxime ex veterum more est. Certius ad Eumenides refert hanc impietatis accusationem Apsines p. 686: *οἱ ἐπὶ Ποτιδαιάταις κρινόμενοι Ἀθηναῖοι, καὶ Αἰσχύλος ἐπὶ ταῖς Εὐμενίσι, καὶ ὁ ἐπὶ τῶν λιμωττόντων Σκυθῶν, καὶ ἐπὶ πάντων, ὅπου μέγα τι καὶ ὡμολογημένον τὸ ἀδίκημα.* Quorum auctorum uterque in universum tantum aliquam impietatem arguit, quam in fabulis commiserit Aeschylus, Furiarum numeri

mentione non facta. Sed praeterea alii extant, qui vulgatorum mysteriorum accusatum Aeschylum memoriae produnt. Quorum est vetustissimus Aristoteles, cuius in Eth. Nic. III, 2 haec sunt verba: *ὃ δὲ πράττει, ἀγνοήσειεν ἄν τις, οἷον λέγοντές φασιν ἐκπεσεῖν αὐτούς, ἢ οὐκ εἰδέναι, ὅτι ἀπόρρητα ἦν, ὥσπερ Αἰσχύλος τὰ μυστικά.* Quam accusationem ad quinque Aeschyli fabulas, quibus Eumenides non insunt, refert Eustratius fol. 40, a: *δοκεῖ γὰρ Αἰσχύλος λέγειν μυστικά τινα ἔν τε ταῖς Τοξότισι καὶ Ἱερείαις καὶ ἐν Σισύφῳ πετροκυλιστῇ, καὶ ἐν Ἰφιγενείᾳ καὶ εν Οἰδίποδι· ἐν γὰρ τούτοις πᾶσι περὶ Δήμητρος λέγων, τῶν μυστικωτέρων περιεργότερον ἅπτεσθαι ἔοικεν. λέγει δὲ περὶ Αἰσχύλου καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ὁμήρου, ὡς κινδυνεύοντος ἐπὶ σκηνῆς ἀναιρεθῆναι ἐπὶ τῷ τῶν μυστικῶν προφέρειν τινὰ δοκεῖν, εἰ μὴ προαισθόμενος κατέφυγεν ἐπὶ τὸν τοῦ Διονύσου βωμόν.* Deinde refert Eustratius absolutum esse Aeschylum similem ob caussam, qualem memoriae prodit Aelianus, nimirum ob ipsius fortitudinem probatam illam in pugna Marathonia et fratris Cynegiri abcisas manus. Eandem hanc esse apud utrumque scriptorem narratiunculam et unum tantum alterumve falsum esse fratris nomine recte mihi videtur iudicasse Rudolfus Haym in dissertatione, quae inscripta est: „De rerum divinarum apud Aeschylum conditione", Berol. a. 1843, p. 18 sq. Iam denique unus superest auctor, qui Aeschylum mysteriorum vulgatorum reum facit. Is est Clem. Alex. Strom. II, p. 387: *ὡς Αἰσχύλος, τὰ μυστήρια ἐπὶ σκηνῆς ἐξειπών, ἐν Ἀρείῳ πάγῳ κριθείς, οὕτως ἀφείθη, ἐπιδείξας ἑαυτὸν μὴ μεμυημένον.* Non initiatum Aeschylum fuisse aperte est falsum. Quomodo enim, si non initiatus fuit, eum Aristoph. Rann. v. 886 sq. inducere potuit dicentem mentem eius a Cerere nutritam esse, quae eum mysteriis dignum habuerit. Videtur, id quod recte indicavit R. Haym l. c. p. 17 sq., orta esse Clementis narratio ex mala Aristotelis interpretatione.

Sed iam tempus est, ut quid omnes illae de Aeschyli lite narratiunculae ad Eumenidum commissionem faciant videamus. Cuius fabulae ne nomen quidem praeter unum illi scriptores indicant. Sed etiam ille unus prorsus in universum dicit accusatum esse Aeschylum propter Eumenides. Iam igitur quo iure haec impietatis accusatio ad insolitum Furiarum numerum referatur quaerendum, cum ne Pollux quidem unicus auctor, qui insoliti Furiarum numeri iniectique hoc spectatoribus terroris mentionem faciat, id addat Aeschylum ob illum ipsum insolitum Furiarum numerum impietatis reum factum esse. Ex Aeschyli autem vita concludi quidem potest nonnullos narravisse propter hunc terrorem Aeschylum in Siciliam migrare coactum esse, quanquam disertis verbis ne hoc quidem ibi dictum est: sed de lite quodam, qui hanc ob caussam Aeschylo iniunctus sit, etiam ibi nulla mentio fit. Quae cum ita sint, admodum debilis videtur Hermanni argumentatio, qui sub finem dissertationis alterius de choro Eumenidum rem ita composuit, ut quinquaginta quidem Furiarum chorum Aeschylo non tribuat, vulgarem vero religionem ab eo ideo violatam fuisse putet, quod, cum vulgo tres crederentur Furiae, quindecim produxerit. Satis ingeniosa et Hermanno digna est haec ratiocinatio, attamen vereor ne speciosior sit quam verior. Veterum enim auctorum testimoniis firmari nulla ratione potest: namque horum nullus Aeschyli crimen omnibus concessum et magnum quoddam ad Furiarum numerum refert. Sin ea sola sequimur, quae veteres de hoc Aeschyli lite memoriae prodiderint, tum sic statuendum: Evulgavit in fabulis Aeschylus quaedam mystica, quae pronuntiari nefas non putavit, ob eamque caussam reus factus misericordia iudicum absolutus est. Qualia autem fuerint haec mystica, quae profanavisse dicitur, inquirere non est huius loci: non vero spectasse illa ad Furiarum numerum a poeta productum iam pro certo affirmandum.

Haec habui quae disputarem de ratione, qua Aeschylus insolito Furiarum numero terruisse spectatorum animos dicitur. Fuit autem revera insolitus hic numerus. Nam etsi prorsus incredibile videtur quinquaginta ab Aeschylo productas esse Furias, verum tamen numerum servatum esse crediderim a schol. ad v. 575 hisce chori verbis: *πολλαὶ μὲν ἐσμὲν, λέξομεν δὲ συντόμως*, adscribenti: *τοῦτο οὐ πρὸς τὰς τρεῖς, ἀλλὰ πρὸς τον χορόν· ιέ γαρ ἦσαν* [34]). Alia autem ratio, qua spectatoribus magnum terrorem iniecisse dicitur, fuit chorum *σποράδην* introducendi. Id vero ubi et quomodo factum sit, magna inter viros doctos orta est dissensio. Si rem ipsam consideramus neque rationibus aliunde petitis confundi sinimus, vix mihi dubitari videtur posse, quin fieri potuerit tantum in chori epiparodo Athenis facta v. 243, ubi ipsa verba indicare id videntur. Quis enim non videt, quomodo prima chori verba prae se ferant speciem canum ferarum vestigia quaerentium, quibuscum se ipsae conferunt Furiae. Vestigium matricidae nunc quidem post longam persecutionem sese invenisse gloriatur coryphaea et sorores hortatur, ut omne nunc acumen adhibeant ad detegendum profugum, quem alicubi occultum esse humani sanguinis odor eis prodidit. Quae est, nisi egregie fallor, species chori *σποράδην* irruentis: vel iustus hic incessus ordinibus et membris distinctus ineptus fuit. Sed ulterius etiam progrediendum. In priore enim tragoediae parte Delphis acta ne locum quidem invenio, quo statui possit incessus *σποράδην* factus. Quid enim. Initio fabulae dormiunt Furiae in templo Apollinis non conspectae a spectatoribus usque ad v. 65. Tum aperiuntur fores, quod testatur vetus schol. allatus a nobis p. 11. Ubi re omnibus rationibus perpensa facere non potuimus, quin recte sic ex scholiastae auctoritate statui concesserimus. Apertis igitur foribus conspiciuntur Furiae in templo dormientes, unde postea in orchestram indeque in peregrinitatis partem Orestem persecuturae abeunt. Cum igitur Furias una in templo spectatores conspiciant, in quo versantur inde ab initio fabulae, ubi, quaeso, locus relinquitur parodo *σποράδην* factae? Contra talis parodos quam apta sit ubi iterum apparent, modo mihi ostendisse videor. Post coryphaeae senarios (vv. 243—252) septem sunt chori dicta, quae inter septem paria Furiarum dividenda censui p. 28. Vide, quaeso, quam speciose omnia inter se conveniant. Primum irruit coryphaea matricidae vestigium nunc se indagavisse exclamans monensque sorores ut sequantur omnique acumine illum quaerant. Et ecce, sequuntur persequentium instar *σποράδην* irruentes binae Furiae septemque Furiarum paria deinceps commaticam hanc epiparodon recitant. Quamquam id non premo inter ipsum incedendum ab unoquoque Furiarum pari suum dictum recitari. Videtur potius non convenire celeritati, qua irruunt ut post decem demum senarios coryphaeam sequatur primum par singulaque paria extra orchestram remaneant, donec illa, quae prius venerint, sua recitaverint. Sed ita cogitandum, ut, cum chorus *κατὰ δύο* incesserit, hanc stationem servet inter recitandam epiparodon.

Ita omnia videntur aptissime convenire, si solas sequimur rationes fabulae ipsius. Sed aliter visum viris doctis. Offensum est potissimum in eo, quod, si iam conspexerint spectatores Furias, hae eis tantum terrorem incutere non potuerint. Sed, quaeso, chori incessus, qualis necessarius apparet ex ratione fabulae ipsius, nonne pluris, quaeso, nobis erit quam narratiunculae subabsurdae duorum grammaticorum ne inter se quidem consentientes? An revera ei, qui solum propter ingentem spectatorum terrorem memoriae proditum parodon *σποράδην* Del-

---

[34]) Cf. quae animadverti de insolito in choro deorum vel daemonum numero in dissertatione citata p. 40.

phis factam quocunque modo Aeschylo imputent, an, inquam, revera credunt terrorem, quem haec σποράδην facta parodos spectatoribus incusserit, tantum fuisse ut infantes prae metu extincti essent mulieresque in ipso theatro abortus edidissent? Quas si grammaticorum nugas veras putant, quidni etiam magis adhuc minuant ingentem terrorem? Ego vero mihi totam quaestionem iam confecisse viderer — tam exigui enim momenti mihi videntur illae narratiunculae — et vix operae pretium putarem etiam accuratius quaerere, num cogitari possit parodos σποράδην Delphis facta, nisi stantes ab illa parte viderem viros, quorum iure habetur maxima in hisce litteris auctoritas. Inter quos primum locum tenet G. Hermannus. Quem quidem de illis grammaticorum nugis recte iudicasse in dissert. I. de choro Eumenidum (Opuscc. II. p. 128 sqq.) mihi etiam atque etiam magis fit persuasum, ingeniosissime enim ostendit quomodo illi sibi ipsi contradicant. At eo magis miror Hermannum, qui tam egregie intellexerit quantum parodos σποράδην facta terrorem adaugere debuerit[34]), cum Furiae alia post aliam irruerent ita ut continuo augeri videretur earum numerus — Hermannum, dico, qui hoc perpetuum terroris augmentum tam egregie intellexerit, miror non potuisse nisi in primo Furiarum visu hoc ipsum terroris augmentum statuere. Minime autem debuit ad sententiam firmandam uti scholio ad v. 143. Quod enim ibi tradit scholiasta: ἀναστήσει αὐτὰς οὐκ ἀθρόως, μιμούμενος ἐμφαντικῶς τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἐγείρεταί τις πρώτη, ὥστε μὴ ἀθρόως τὸν χορὸν φθέγξασθαι, num hoc σποράδην εἰσάγειν dici potuit? Describit scholiasta, quomodo chorus, qui iam adest in theatro, expergefiat: sed de introducendo hoc loco neque dixit, neque, si sanus erat, dicere potuit.

Est igitur tota huius incessus σποράδην facti ratio, ut paucis comprehendam, quae de hac re disputavi, haec: Bis in cognomine fabula apparet Eumenidum chorus, sicut tota fabula in duas partes dividitur, quarum prior Delphis in templo Apollinis, posterior Athenis in templo Minervae et deinde in Areopago agitur. In prima parte chorus in templo dormiens considit et foribus apertis spectatoribus monstratur. Deinde expergefactus in orchestram descendit et in peregrinitatis partem abit. Potuitne in hac priore fabulae parte dici de incessu? Mihi quidem, quaecunque moliti sunt viri docti ad demonstrandum factum esse hunc incessum σποράδην de scena in orchestram, non persuaserunt potuisse hic dici σποράδην εἰσάγεσθαι τὸν χορόν. Iam pro tota fabulae ratione nihil restat nisi ut statuamus σποράδην Aeschylum chorum introduxisse, ubi iterum apparet, in epiparodo Athenis facta v. 243. Ubi quam sit σποράδην factus incessus aptissimus mihi supra ostendisse videor. Quamquam fatendum est aliquid incommodi remanere. Namque profecto miramur, unde tantus subito factus sit spectatoribus terror, si iam viderint terribiles Furias. Sed cum aliquid detrahendum videtur de ingenti illo terrore, tum egregie succurrit Hermanni argumentatio probantis numerum Furiarum continuo augeri visum esse illo σποράδην facto incessu et hac aucti numeri specie terrorem spectatoribus iniectum. Athenis Aeschylum Furiarum chorum σποράδην introduxisse iam Müllerus censuerat, idemque Schoemannus et Franzius videntur statuisse, quarum uterque in versione Germanica in epiparodo chorum „in zerstreuter Ordnung" incedere facit. Et prope crediderim Hermannum ipsum postea sic iudicasse. Namque in dissert. I. de choro Eumenidum incessum bis σποράδην factum esse et Delphis et Athenis vult, in ed. autem Aeschyli ad parodi initium nihil de Furiarum incessu animadvertit, contra ad v. 243 scribit: „Introeunt Furiae σποράδην in orchestram".

---

[34]) Non possum hoc terroris augmentum melius describere quam ipsius Hermanni verbis: „si singulae, inquit, Furiae alia post aliam irruerent, numerus earum, ut qui continuo augeretur, multo maior videri debebat, quam si ordinibus dispositae simul omnes conspectae fuissent".

***

IIII.

De iudicio facto de Oreste in Areopago et calculo Minervae.

In hac quoque quaestione tentatissima illa a viris doctis primum poetae ipsius verba videntur examinanda. Areopagitas, quos nonnissi in proscenio versari posse iam p. 22 monuimus, suffragia dare post Minervae orationem a v. 673—702 habitam patet. Sed de horum iudicum numero valde dissenserunt viri docti. Müllerus enim p. 161 censens in chori et Apollinis verborum intervallis Areopagitas suffragia ferre duodecim computavit intervalla. Putavit igitur, sicut secundum vulgares fabulas duodecim dii de Oreste iudicaverint, sic ab Aeschylo quoque duodecim humanos iudices institutos esse, quorum primus suffragium ferat post finitam Minervae orationem v. 702, alter post primum chori dictum v. 704, tertius post primum Apollinis v. 706, quartus post secundum chori v. 708, quintus post secundum Apollinis v. 710, sextus post tertium chori v. 712, septimus post tertium Apollinis v. 714, octavus post quartum chori v. 716, nonus post quartum Apollinis v. 718, decimus post quintum chori v. 720, undecimus post quintum Apollinis v. 722, duodecimus denique post sextum chori v. 725 [35]. Tum Minervam calculum tollere v. 727 et praedicare per hunc ipsum calculum tertium et decimum Orestem victurum esse, etiamsi par sit utrimque calculorum numerus, v. 733. Satis ingeniosam esse hanc rationem neque inesse aliquid Aeschyli verbis usque ad v. 735, quod ei iure opponatur, quivis concedet. Deinde Minervam suum calculum Oresti addere, cum par inventus sit absolventium et damnantium calculorum numerus. Quod idem non est prorsus contrarium Aeschyli verbis, quamquam haud diffitendum est aliquid incommodi inesse in ea re, quod Minerva v. 744 sq. nude dicit virum absolutum esse, quia par sit calculorum numerus. Sin prorsus perspicue loqui volebat dea, ei dicendum fuit: Nunc quidem par est absolventium et damnantium calculorum numerus, meo autem, quem absolventium parti adiciam, absolutus est Orestes. Hoc unicum est, quod, si sola poetae ipsius verba respiciamus, Müllerianae rationi adhuc obiciamus.

Sed iam audiamus alteram partem, a qua inprimis stant G. Hermannus [36] et Fritzschius [37]. Quorum uterque ita statuit, ut undecim tantum Areopagitae iudicaverint de Oreste, quorum sex damaverint, quinque absolverint: itaque Minervae ipsius demum calculo absolventium et damnantium suffragiorum numerum parem factum esse. Iam in primo poetae verborum aspectu haec ratio magis ex eius sententia videri potest, quod et ipse qui acerrime contra eam in aciem descendit, Schoemannus [38] concessit. Dicit enim Minerva v. 726 suum esse hunc litem ultimam dirimere seque Oresti calculum additturam esse, et Orestem victurum esse, etiamsi sit utrimque calculorum numerus par, v. 733. Ex Hermanni igitur et Fritzschii sententia iam v. 727, antequam calculi numerentur, suum calculum inicit in urnam Minera, et hoc ipso Mi-

---

[35]) Qua in iudicum computatione cum Mülllero consentit Boeckhius in C. I. G. II. p. 311.

[36]) In censura Eumenidum Müllerianarum in Opuscc. VI. 2. p. 188 sqq.

[37]) In libro, qui inscribitur: Recension des Buches „Aeschylos Eumeniden griechisch und deutsch“ „von K. O. Müller“, von einem Philologen. Der Recension erster Artikel Lips. a. 1834.

[38]) In versione Germanica not. 12. p. 77—88.

nervae calculo par fit absolventium et damnantium numerus, et deinde praedicat v. 744 sq. propter parem utrimque calculorum numerum absolutum esse Orestem.

Vides igitur de numero iudicum Orestis apud Aeschylum duas extare sententias sibi contrarias, quarum utraque poetae verbis consociari possit. Sed unde huius rei discrimen petendum nisi ex verbis poetae ipsius? Iam ut fatear quod mihi sit persuasum de hoc lite, prorsus ad liquidum perduci posse hanc de Minervae calculo quaestionem vix crediderim. Nam que verbis poetae utraque ratio firmari potest: et utram accipis, aliquid remanet incommodi. Quae cum ita sint, invitus paene ad hanc quaestionem accessi me quoque certi aliquid ad litis discrimen afferre non posse praevidens. Attamen, cum Eumenidum res scenicas investigandas mihi proposuerim, omnino tentanda fuit quaestio. Iam igitur circumspiciendum, quid praeter Aeschylum veteres memoriae prodiderint de Orestis lite.

Atque primum iusto magis mihi videtur Hermannus neglexisse, quid in universum veteres senserint de Minervae calculo. Nam si quid est, quo illustrari haec quaestio possit, utrum par fuerit an impar iudicum numerus, certe hoc unum est. Iam omnium primum satis constat in veteribus fabulis narrari solitum fuisse duodecim in Areopago deos de Oreste iudicium egisse[39]). Sed differunt auctores, utrum in his duodecim diis fuerit Minerva an tertia decima accesserit. Proximus aetate Aeschylo Euripides est, qui tribus locis iudicii de Oreste habiti mentionem facit, I. T. 965. 1470. El. 1265, sed dicens id tantum parem fuisse absolventium et damnantium calculorum numerum, itaque absolutum esse Orestem et in omne posterum tempus hanc constitutam legem, ut paribus utrimque iudicum suffragiis pro reo fiat sententia. Dicit autem Minerva apud Eur. I. T. 1470 servasse se in iudicio Orestem calculorum numerum parem *κρίνασαν*. Iam igitur omnis quaestio eo redit, quomodo intellegamus hoc *κρίνασα*. *κρίνειν* latinum est „cernere" atque propria huius verbi significatio nostrum „scheiden", „sondern", tum etiam significat „den ausschlag geben". Si igitur Minerva dicit se pares calculos crevisse, aliter hoc intellegi vix potest, quam pari utrimque calculorum numero Minervam rei discrimen fecisse et propter ipsum parem numerum Orestem absolvisse hancque legem in omne posterum tempus constituisse. Hic igitur, ni fallor, sensus calculi Minervae, qualem Euripides intellexit. Sed quid inde sequitur ad controversiam in Aeschylo diiudicandam? Nihil plane. Vidimus enim Aeschyli verba ita intellegi posse, ut Minervae demum addito calculo par fiat utrimque calculorum numerus et tunc dea pronuntiet absolutum esse Orestem, quia par sit numerus calculorum. Ita si statuimus, duplex quidem Minervae munus traditur, et addendi calculum, ut par fiat numerus, et dirimendi hunc parem numerum: sed servatur sensus calculi Minervae, qui alius esse vix potest, quam ut paribus damnantium et absolventium calculis reo addatur. Itaque Euripides quoque adhiberi non potest ad discernendam quaestionem, quae apud Aeschylum Minervae sint partes in iudicio de Oreste habito. Nonne iam cuperes, ut ipsa dea calculum suum afferat ad diiudicandam hanc quaestionem intricatissimam?

Sed ne desperemus de hac quaestione, quam quocunque modo adorti sumus, ad id semper adhuc nos duxit, ut dicendum fuerit certi discriminis nihil nos invenisse. Potius pergamus ut ille Laco animo forti. Iam quae praeter Euripidem veteres auctores de illo Orestis iudicio memoriae prodiderint, examinanda sunt. Primum eos afferam, qui stent a Mülleri et Schoemanni parte, Minervam igitur, cum par sit inventus utrimque calculorum numerus, ad di-

---

[39]) Veterum testimonia excitata v. apud Boeckhium l. c.

iudicandum litem tertium decimum adiecisse calculum narrent. Hoc tradit schol. ad Eur. Or. v. 1650 ed. Nauck. hisce utens verbis: *ἴσων δὲ γενομένων τῶν ψήφων ἡ Ἀθηνᾶ οἰκτείρασα αὐτὸν* (scil. *Ὀρέστην*) *παρ' ἑαυτῆς ἔθηκε μίαν ψῆφον, ἥτις ἐποίησεν αὐτὸν νικῆσαι.* Idem narrat Aristid. orat. I. in Minerv. p. 20, 11 Dind. *τὴν δὲ φιλανθρωπίαν* (scil. *τῆς Ἀθηνᾶς*) *οἱ περὶ Ὀρέστην λόγοι μαρτύρονται, ὃν φυγόντα μὲν ἐξ Ἄργους Ἀθήναζε, φεύγοντα δ' Ἀθήνησι δίκην ὑπ' Εὐμενίδων, ἴσων τῶν ψήφων γενομένων, προσθεμένη τὴν παρ' αὑτῆς σώζει· καὶ τοίνυν ἔτι νῦν σώζει πάντας, ἐὰνι σαι γένωνται.* Quocum consentit schol. ad Aristid. p. 108, 7: *τὴν τοῦ Ὀρέστου καὶ Ἐρινύων δίκην δώδεκα θεούς φασι δικάσαι, οὐ παρούσης τῆς Ἀθηνᾶς, ὧν τοὺς μὲν σώζει πάντας, ἐὰν ἴσαι ἓξ ψήφους θεῖναι δικαιώσεως ταῖς Ἐρινύσι, τοὺς δ' ἄλλους ἓξ τῷ Ὀρέστῃ. ἐλθούσης δὲ τῆς Ἀθηνᾶς καὶ συμψηφισαμένης τοῖς ὑπὲρ αὐτοῦ, νικᾷ ὁ Ὀρέστης.* Contra alii auctores pro Hermanno et Fritzschio stant. Ita ab Aeschylo iudicium institutum esse, ut Minervae demum calculo adiecto par fiat utrimque calculorum numerus, scholiastae Aeschylei est sententia, qui v. 727 haec adscribit: *ἐγὼ προσθήσω τὴν ἐσχάτην ψῆφον, ἢ ὅταν ἴσαι γένωνται, νικᾷ ὁ κατηγορούμενος.* Deinde illum Aristidis scholiastam modo a nobis laudatum, a quo Mülleri et Schoemanni sententia firmetur, statim alter sequitur, qui p. 108, 10 ita scribit: *φασὶ δὲ, ὅτι τῶν ἓξ θεῶν προστιθέντων ταῖς Ἐρινύσι, καὶ τῶν ἕ τῷ Ὀρέστῃ, μετέωρον ἔχουσαν τὴν ψῆφον Ἀθηνᾶν ὕστατον προστιθεῖσαν νικῆσαι αὐτὸν πεποιήκεν· εἰκότως· ὑπὲρ οὗ γὰρ τὴν ἐκεῖσε κρίσιν ἠγάπησε, ἀντὶ χάριτος χάριν αὐτῷ εἰσεἰήνοχεν. εἰ δέ τις εἴποι, πῶς τὸ ἴσον ἔχων τῶν θεῶν νενίκηκεν, ἐρεῖς, ὅτι θνητὸς ὢν τὰς ἴσας τῶν θεῶν ψήφους ἐδέξατο τοῦτο νενίκηκε*[40]). Ita prorsus Minervam apud Aeschylum agere Hermannus vult. Quamquam ratio, ob quam vicisse Orestem schol. narrat, est subabsurda, nimirum ea, quod dimidia deorum pars pro Oreste iudicaverit, consentaneum autem fuerit, ut dii potius a Furiarum parte steterint, quarum tamquam daemonum maior eis intercesserit necessitudo quam hominis: haec enim ratio Aeschyli prorsus contraria est, apud quem Furiae vehementissimis verbis se a recentioribus diis increpari suaque iura pessumdari querantur. Demosthenis autem locus adv. Aristocr. p. 641 R. quaestioni, utrum par an impar humanorum iudicum apud Aeschylum numerus statuendus sit, nihil lucis afferre potest: ibi enim id solum dictum est duodecim deos de Orestis lite iudicasse. At duo etiam Luciani loci extant, quibus Hermanni et Fritzschii sententia firmetur. Quorum alter est in Pisc. 21, ubi his verbis Minervam alloquitur Lucianus: *ἐμὲ δ' ἢν που κρατούμενον ἴδῃς καὶ πλείους ὦσιν αἱ μέλαιναι, σὺ προσθεῖσα τὴν σαυτῆς σῶζέ με,* ubi etiam Sommerbrodtium ab Hermanni partibus stantem nunc video, alter in Harmon. 3: *ὥστε ἤν που καὶ νῦν ἐμοι ἐς τὸ χεῖρον ῥέπωσιν αἱ ψῆφοι ἐν τῷ λόγῳ καὶ ἐλάττους ὦσιν αἱ ἀμείνους, σὺ τὴν τῆς Ἀθηνᾶς προστιθεὶς ἀναπλήρου τὸ ἐνδέον παρὰ σεαυτοῦ.*

Vides igitur ab utraque parte stantem auctorum haud contemnendorum gregem. Quod igitur simplici poetae ipsius verborum consideratione nacti non fueramus, ut ad certum iudicium perveniremus, utrum parem an imparem numerum iudicum de Oreste iudicantem fecerit Aeschylus, id etiam testimoniis aliunde petitis non clarius nobis factum est. Iam tertia patet via. Restat enim ut quid in universum de Minervae calculo veteres senserint circumspiciamus. Quem

---

[40]) Utriusque Aristidis scholiastae verba ex parte ita accedunt ad rem, qualis apud Aeschylum agitur, ut prope crediderim utrumque verba poetae ante oculos habuisse et in suam rationem interpretatum esse. Apud alterum enim *νικᾷ ὁ Ὀρέστης* ipsius sunt poetae verba v. 733, apud alterum quod dea calculum tollere et sublimem tenere (*μετέωρον ἔχουσαν τὴν ψῆφον*) dicitur, nonne idem facere videtur v. 727? Videtur igitur iam apud veteres auctores, quae partes in Orestis iudicio apud Aeschylum habito Minervae tribuendae sint, in ambiguo fuisse.

ita intellexisse Lucianum, ut, cum nigrorum i. e. damnantium calculorum numerus uno praevaluerit, dea ipsa album calculum adiecerit vel potius adiecisse existimata sit et hoc facto reus absolutus, apertissime Harmonidis locus modo laudatus ostendit. Sed si nunc in tempus valere iubemus Orestis et Furiarum litem apud Aeschylum actum, unicus auctor est Lucianus, qui ita in universum de Minervae calculo cogitaverit. Namque ceteri, quibus nituntur Hermannus et Fritzschius, auctores respiciunt solum Orestis iudicium, in quo ipsius demum deae calculo parem factum esse utrimque calculorum numerum indeque absolutum Orestem contendunt. At enim ratio calculi Minervae alia fuisse vix potest nisi ut paribus damnantium et absolventium iudicum suffragiis dea ipsa calculum reo addere existimaretur et is tali modo pro absoluto haberetur. Quid enim? nonne imparibus iudicum suffragiis iam disceptatus est quivis lis? quid vero tunc opus esset divino arbitrio? Ita omnes quoque fere veteres auctores excepto Luciano de calculo Minervae cogitasse certissimis constat testimoniis. Ita censuit Euripides addens locis supra (p. 47) a nobis allatis hanc in omne posterum tempus constitutam esse legem ut paribus iudicum suffragiis reus vincat. Ita aperte iudicavit Aristid. l. c. a Minerva omnes reos servari, cum paria sint suffragia, contendens. Ita Iulian. in laudat. Euseb. p. 114 D Spanhem. haec tradens de calculo Minervae: *εἴ ποτε τῶν δικαζόντων αἱ ψῆψοι κατ᾽ ἴσον φαίνοιντο τοῖς φεύγουσι πρὸς τοὺς διώκοντας, τὴν τῆς Ἀθηνᾶς ἐπιτιθεμένην τῷ τὴν δίκην ὀφλήσειν μέλλοντι, ἀπολύειν ἄμφω τῆς αἰτίας*, ita schol. a. Aristoph. Rann. v. 685 Bergk.: *τὸ ἔθος δὲ ὅτι φεύγων ἀπολύεται ἴσων τῶν ψήφων ἐνεχθεισῶν, ἀπὸ τοῦ κατὰ τὸν Ὀρέστην γενομένου.* Num tot scriptorum, interque eos Euripidis aequalis prope Aeschyli, unanimo paene consensui solum obstantem Lucianum auctorem sequamur? Quod equidem vix susceperim. Sed potius hunc Minervae calculi sensum esse credemus — atque alius esse pro rei natura vix potest — ut paribus utrimque iudicum suffragiis dea ipsa calculum album addere existimetur, quo absolvatur reus. Neque videtur Hermannus ipse aliter iudicasse de calculo Minervae, cum in censura Eumenidum Schoemannianarum in Annal. Vindob. vol. CXI. p. 238 sqq., partim repetita eadem in Aeschyl. II. p. 623 dicat: „Allgemein anerkannt ist, dass bei gleicher zahl der stimmen der beklagte für losgesprochen geachtet wird, und nur wie diese gleichheit der zahl zu denken sei wird gestritten“.

Iam igitur generali Minervae calculi ratione exposita videndum est, utra sententia magis Aeschyli verbis conveniat, num Hermanni et Fritzschii, qui Minervae ipsius demum calculo parem effici numerum, an Mülleri et Schoemanni, qui paribus nigris et albis calculis album a Minerva addi censeant.

Iam igitur eadem fere via progressi qua R. Haym l. c. p. 40 sqq. ad poetae ipsius verba recurrere cogimur. Sed non tantum suffragium ipsum nunc examinandum erit, sed quaecumque ad hoc iudicium pertinent, iam inde a v. 389, ubi primum Minerva advenerit, sciscitatura Furias et Orestem unde venerint et quid velint in sua urbe. Auditis utrisque partibus respondet dea v. 462 sqq. maius esse facinus quam quod iudicet mortalis (attendas velim numerum singularem) neque vero se ipsam iudicaturam esse caedem tam atrocem. Iterum se ad iudicium venturam esse optimos civium suorum rerum capitalium iudices sortitam pollicita decedit dea v. 482. Et ut pollicita erat, redit cum iudicibus a se electis v. 555. Auditis Furiis Oreste, Apolline instituit Minerva Areopagi iudicium in oratione habita a v. 673—702, sub cuius finem Areopagitae modo creati nunc suffragia dare iubentur. Quod postquam fecerunt, denuo prodit Minerva suum esse ultimam hunc litem disceptare dicens: se igitur virorum amicam Oresti calculum addituram victurumque Orestem, etiamsi par sit utrimque calculorum numerus,

vv. 726—735. Evolvuntur calculi et ecce est par alborum et nigrorum numerus, victorem Orestem Minerva proclamat v. 745. Ita fere res agitur secundum Aeschyli verba. Iam, ut recte Schoemannus monet not. 12 p. 77, obiter inspicienti haec verba poetae Hermanni rationem magis videntur posse probare. Sed miror virum ingenii acutissimi fugisse, quam iniustam et sibi ipsi contradicentem fingat Minervam. Primum enim ex Hermanniana ratione dicit dea suum non esse iudicare hunc litem et deinde non iudicat tantum sed aperte decipit Furias[41]. Quid enim aliud est ac decipere, si primum dicit nolle sese iudicare sed optimos civitatis a se electos iudicaturos esse, deinde vero, cum maior horum iudicum numerus damnaverit reum, non solum suo calculo parem facit absolventium et damnantium numerum sed insuper cavillans adversarios addit pari numero calculorum absolutum iri Orestem. Id me quidem non intellegere libenter confiteor, quomodo Furiae tali modo illusae a dea non potuerint eam incusare ob iniuriam ipsis factam, id quod contendit Hermannus p. 191. Immo ita si factum erat, gravissime Minervam incusare debebant, quae si ita cum eis egit ut vult Hermannus, ita inimicas fieri eas oportuit, ut reconciliari nullo modo potuerint.

Contra omnia aptissime inter se conveniunt, si parem iudicum numerum statuimus. Scit Minerva tamquam dea, sive unam sive duas urnas statuimus — τεύχη enim illa (v. 736) utramque admittunt — scit exitum iudicii: scit sex Areopagitas suffragia dedisse pro Oreste, sex pro Furiis. Itaque ut diiudicet litem, ipsa accedit, tollit calculum album et dicit se hunc Oresti addituram esse, id quod facere censenda est, cum par inveniatur calculorum numerus. Talis dea sibi neque contradicit neque fit iniusta contra Furias. Dixerat enim facinus maius esse quam quod mortalis iudicet. Itaque plures instituit iudices. Qui cum etiam discernere nequeant gravissimum hunc litem, ipsa non iudicat, id quod disertis verbis abnegaverat, sed suo addito calculo iudicium incertum disceptat. Ita si statuimus, revera lis non ab humano iudice diiudicatur neque dea ipsa iudicat. Hanc igitur rationem vel maxime putaverim poetae verbis convenire. Porro si ita fiebat iudicium, aptissime ab hoc Orestis iudicio derivari potuit ratio calculi Minervae, id quod secundum Hermanni rationem fieri quidem potest, sed nonnisi ut et ipse, qui hanc rationem probat, dicit R. Haym, „nonnisi cum magno Aeschyli damno". Tali igitur ratione cum par iudicum numerus opus sit, quidni accipiamus Mülleri rationem p. XVIII a nobis expositam, ex qua calculos ferant Areopagitae in intervallis dictorum Apollinis et Furiarum, a v. 702—725. Ex hac ratione iudicant apud Aeschylum de Oreste duodecim humani iudices, quocum id optime convenire, quod secundum veteres fabulas duodecim dii iudicaverint, iam ipse Müllerus monuit. Hoc iudicum numero memoriae prodito semel etiam id excusatur, quod solum offendere possit in Mülleriana ratione, quod parem iudicum numerum eligit Minerva satis illum incommodum in iudiciis.

V.

De exodo et προπομπῶν choro.

In ultima quoque huius fabulae quaestione controversa inter viros doctos ante omnia mihi poetae ipsius verba inspicienda videntur. Postqam Furiae accepturas se sedes, quas

[41]) Nam nihil interesse hoc loco, utrum sola iudicet an una cum iudicibus a se electis, recte monet Schoemannus.

Minerva eis in terra Attica promiserit, indicarunt v. 881 et prorsus placatas se professae sunt v. 887, sequitur pars tragoediae, quam supra commaticum alterum nominavimus, inde a v. 903—1003. Inter sermocinationem habitam inter Minervam et chorum accessisse multitudinem quandam, quae Furias ad illud sacrum, quod dea eis tribuerit, deducat, ex vv. 985 sqq. patet, ubi Minerva dicit suum nunc esse incedere prae sancta luce comitum[42]) monstraturam Furiis thalamos. Post ultimam deinde Minervae orationem habitam inde a v. 1003—1013 finitur fabula προπομπῶν vel comitum carmine, quod recitatur inter ipsas deducendas Furias. Hactenus verba poetae. Praeterea autem de hac exodo tres inprimis ortae sunt quaestiones, quarum est prima, fueritne Minerva ipsa in hac pompa, altera, utrum facta sit exodos in orchestra an in scena, tertia denique, quales hi comites, inprimis virine inter eos fuerint. Quarum quaestionum singulas, quam paucissimis fieri poterit, nunc tractabimus.

Primum igitur quaerendum, fueritne Minerva ipsa in pompa. Si simplici neque praeoccupato iudicio inspicimus Aeschyli verba, vix videtur posse dubitari, quin vv. 985 sqq. consilium pronuntiet dea deducendi hanc pompam, etiamsi e v. 987 eam deductricem a Bentleio removeri patimur, quamvis tum in utramque partem explicari verba posse nobis concedendum sit, et ita ut sit Minerva in pompa, et ita ut non sit. Atque Hermannus quidem deam iam aliquid temporis ante ceteram turbam praecedere vult ad Furiarum thalamos: et profecto si in v. 987 legimus προπομπῶν, videtur sic loqui posse. Debere autem etiamsi recepta hac lectione ita deam loqui ut aperiat consilium ab Hermanno ei imputatum, minime mihi videtur concedendum. Atque, id quod potissimum attendendum, nisi egregie fallor, debebat dea postquam indicavit hoc consilium, statim post finitos anapaestos (vv. 985—995) excedere neque vero remanere, immo senarios illos (vv. 1003- 1013) pronuntiare: hisce enim finitis parum temporis restabat valdeque ei currendum erat, si volebat advenire in Furiarum templo ante ceterum agmen, quod verbis βᾶτε δόμῳ (v. 1014) incedere coepit. Non dubito igitur, quin ipsa Minerva fuerit in pompa, immo eam duxerit, quippe quae optime noverit locum, quo deducendae erant Furiae. Neque praeter Hermannum alium quendam expertem eam huius agminis fecisse video, ne pedisequum quidem eius Fritzschium. Iam ut statuamus de lect. v. 987, si Minervam ducem agminis facimus, servari quidem illud προπομπόν potest. Sed si respicimus mutationis lenitatem meditamurque, quam opus fuerit clara voce hic significare comites, Bentleium tamen, credo, verum hic vidisse statuemus.

Pari facilitate altera quoque de hac pompa quaestio mihi videtur posse discerni, utrum locum habuerit in scena an in orchestra. Sunt c h o r u s hi comites, etiamsi non proprius totius fabulae, chorus tamen secundarius. De quibus choris secundariis exposui in dissertatione saepius citata p. 28. 38 sq. Cum vero sint chorus comites, in eos etiam cadit Pollucis[43]) verbum: ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ. Omnium, quae ad chorum pertineant, personarum orchestra propria est, nisi aliae intercedunt rationes, ob quas orchestra interdicantur. Eius modi rationes autem in nostra fabula non modo inveniri nequeunt, immo omnis ratio eo ducit ut orchestra his co-

---

[42]) Ceterum Bentleius demum inseruit v. 987 comites scribens τῶνδε προπομπῶν pro τῶνδε προπομπόν, quod est in libris. Quod sic tantum intellegi potest, ut Minerva dicat se fore horum deductricem, i. e. multitudinis, quam advenisse par est. Lenissima quidem est mutatio τοῦ ο in ω et quae vix mutatio sit, sed ea tantum, de qua discerni tum tantum possit, postquam viderimus, num dea ipsa sit in pompa.

[43]) IIII, 123.

mitibus concedatur. Quid enim? Utrum Furiarum erat in scenam ascendere ad accipiendum comitatum an potius comitum deas placatas propitiasque civitati redditas quocunque modo venerari et ad eas in orchestram descendere? Posterius quidem procul dubio statuendum videtur, atque ita statuerunt Müllerus, Schoemannus, Franzius, Hermannus contra et Fritzschius in scena fieri pompam contendunt. Summa autem iniuria Fritzschius p. 111 sqq. Müllero obicit non satis esse ab eo comprobatum in orchestra pompam fieri: quid enim opus erat multis comprobari quod res ipsa postulat? Immo Hermanni et Fritzschii erat uti certioribus argumentis, quam usi sunt, ad comprobandam pompam in scena factam. Nisi igitur certius id comprobabitur, iam in orchestra, ex qua deducendae erant Furiae, hanc pompam fieri sinamus. Oportet autem comitum multitudinem inter sermocinationem inter Minervam et Furias post placatas illas a v. 903—984 habitam orchestram a domestica parte ingredi, cum vv. 985 sqq. dea comites tamquam praesentes alloquatur.

Sed iam tertia restat quaestio, eaque, quae tam paucis absolvi non possit, quales fuerint hi Furiarum comites. *Προπομπῶν* enim chorum ex mulieribus tantum constitisse Müllerus censuit. Miror virum elegantissimi iudicii apertissima Aeschyli verba neglegere potuisse, solam eam ob caussam quod in epigrammate Polemonis servato a schol. ad Soph. O. C. v. 489 Hesychides praesides fuisse dicantur sacrorum Furiis factorum. Utcunque legimus illud scholion, sive servamus quod est in libris: *τὸ δὲ τῶν εὐπατριδῶν γένος οὐ μετέχει τῆς θυσίας ταύτης* sive mutamus cum G. Hermanno illud *οὐ* in *ὅ*, hoc patet non posse de Aeschyli pompa ex hoc scholio iudicari. Nonne enim certissime poeta indicavit viros a se participes factos esse huius agminis v. 992 sq. Minervam dicere faciens: Vos autem ducite, filii Cranai urbem obtinentes? Nescio, quo artificio *πολισσοῦχοι παῖδες Κραναοῦ* de mulieribus solis intellegantur. Sed etiam aliud accedit. Rectissime enim monuit Hermannus *τὸ ὄνομα πάσης χθονὸς Θησῇδος* (v. 1007 sq.) non posse nisi de quovis genere et aetate incolarum huius terrae intellegi, praecipue autem viros et iuvenes, quibus inprimis polleat unaquaeque civitas, deesse non potuisse, quos Furiarum sacrificii participes fuisse veterum quoque auctorum testimoniis ostendit, et enumeratos fuisse a poeta olim post infantes, mulieres, anus (v. 1009), nunc autem excidisse eorum mentionem. Iterum summopere mirandum Müllerum hoc loco tam obcaecatum fuisse, ut non viderit id quod in apertissimo est, nimirum complurium versiculorum iacturam post v. 1009. Lacunam autem hic esse tamen constaret, etiamsi non desideraretur virorum et iuvenum mentio. Primum iam ratio grammatica id indicat. Namque ut sit completa *προπομπῶν* enumeratio verbis *εὐκλεὴς λόχος παίδων, γυναικῶν, καὶ στόλος πρεσβυτίδων*, num haec exciperent *ἀσυνδέτως* verba: *φοινικοβάπτοις ἐνδυτοῖς ἐσθήμασιν τιμᾶτε.* Ita Aeschylum scripsisse vix crediderim. Denique longiorem olim fuisse Minervae orationem certo testimonio constat. Schol. enim recertior ad v. 1003 haec adnotavit: *οἱ δὲ στίχοι εἰσὶν ἰαμβικοὶ τρίμετροι ἀκατάληκτοι ιή.* Byzantinis igitur certe temporibus adhuc duodeviginti erant Minervae senarii, nunc autem undecim tantum supersunt, septem igitur interciderunt. In his igitur septem senariis, qui interciderunt, virorum et iuvenum una cum mulieribus Furias comitantium mentionem factam esse oportebat. Praeterea autem etiam aliud quidquam sex hisce versiculis infuisse putat Hermannus, quod quia quodammodo etiam ad huius fabulae rem scenicam pertineat, hoc loco non praetereundum duxi. In fabulae enim argumento haec dicuntur: *Ὀρέστης ἐν Δελφοῖς περιεχόμενος ὑπὸ τῶν Ἐρινύων βουλῇ Ἀπόλλωνος παρεγένετο. εἰς Ἀθήνας εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς· ἧς βουλῇ νικήσας κατῆλθεν εἰς Ἄργος. τὰς δὲ Ἐρινύας πραΰνασα* (ita recte Hermannus scribere videtur pro *πραΰνας,* quod incommode ad poetam ipsum refertur) *προσηγόρευσεν Εὐ-*

μενίδας, huiusque rei auctor nominatur Aristophanes grammaticus. Quae eadem de Eumenidum argumento referunt Harpocration, Photius, Suidas s. v. *Εὐμενίδες· Αἰσχύλος ἐν Εὐμενίσιν, εἰπὼν τὰ περὶ τὴν κρίσιν τὴν τοῦ Ὀρέστου, φησὶν ὡς ἡ Ἀθηνᾶ πραΰνασα τὰς Ἐρινύας, ὥστε μὴ χαλεπῶς ἔχειν πρὸς τὸν Ὀρέστην, Εὐμενίδας ὠνόμασεν.* Nonne mireris Aeschylum in fabula Eumenidum nomine inscripta huius nominis ne mentionem quidem fecisse? Iam vides fecisse eum Eumenidum nominis mentionem sed hanc quoque mentionem temporum ingratia deperiisse Ubi autem aptior dabatur locus ut hoc benevolarum nomen Furiis imposuerit quam ubi revera cum Oresti tum toti terrae Atticae benevolae propitiaeque factae sunt, in fine igitur fabulae: vel id nomen eis imponi debebat, ubi agmine a tota civitate celebrato ad thalamos suos perducuntur, Furias enim recipere civitatem non decuit, sed benevolas, etiamsi plerumque apud Atticos non hoc Eumenidum nomine sed venerabilium dearum (*τῶν σεμνῶν θεῶν*) nominatas esse has deas constat. Recte igitur Hermannum statuisse censebimus huius mutati quoque dearum nominis mentionem excidisse in lacuna, quae iam alias ob caussas post v. 1009 statuenda est. Ita si statuimus de hac lacuna, grammatica quoque ratio convenit, sententiarum nexus enim hic fere est: Totius Atticae terrae flos has deas nunc sequatur, mulieres, infantes, anus nec non viri iuvenesque, vos autem cives, quia iram nunc deposuerunt, non Furias sed benevolas vocantes veneramini eas amiculis purpureis. Tali sententiarum nexu intolerabile quoque *ἀσύνδετον* evitatur. Quamquam ipsae Eumenides in orchestra nomen quidem mutare potuerunt, non autem habitum scenicum. Itaque et Minerva v. 971 sqq. cives monet, quam bona et salubria verba nunc hae terribiles Furiarum personae edant: et chorus eodem vestitu indutus, quo primum prodierat quoque eius aspectum descripserat Pythias vv. 49 sqq. (cf. p. 10), orchestram quoque relinquere putandus est Deponere terribilem hunc vestitum Furiae tum demum potuerunt, cum ad Thalamos suos pervenerunt. Sed haec quidem de Eumenidum nomine et habitu hactenus. Admissis autem ad pompam viris nondum absoluta est de personis eius quaestio. Primum enim id adhuc quaeritur, quinam fuerint hi viri. Atque Fritzschius putat nullos alios illos fuisse quam ipsos Areopagitas. Quos in agmine fuisse et ipse crediderim. Namque etsi nolo *πολισσούχους παῖδας κραναοῦ* (v. 992 sq.) de Areopagitis solis intellegere, sed, potius de universis civibus Atticis, tamen Areopagitas nondum scenam reliquisse aperte monstrat v. 936: nam urbis praesidium ibi a Minerva appellatum in nostra fabula nihil aliud esse potest quam Areopagus: neque in totius fabulae actione ante hanc *προπομπῶν* pompam ulla praebetur occasio, ubi Areopagitas excedere statui possit. Itaque et ipsi videntur Eumenides comitari: comitatur autem etiam, ut modo ostendimus, Minerva cum ancillis (v. 1066), comitantur denique cuiusvis aetatis et generis Athenienses. Quo ordine totum agmen ingressum sit, certis rationibus indicari non potest, cum in verbis poetae de hac re nihil sit indicii. Itaque varie de hac re hariolati sunt viri docti. Si nobis quoque hariolari licet, pro rei natura ita statuendum videtur, ut primum Minerva, quae ducturam se esse agmen praedicaverit, in orchestram, ex qua toti pompae egrediendum sit, descendat, deinde sequantur principes populi, Areopagitae, usque adhuc una cum dea in scena versati. Minervam tum et Areopagitas duces sequuntur Eumenides, et has reliqua populi turba. Sic, id quod voluit Fritzschius, etiam ex nostra ratione Areopagitae sunt *προπομποί*, deductores Eumenidum. Iam denique succurrit Hermanni inventum *προπομπῶν* carmen inter duas partes dividentis. Nempe, si facimus Areopagitas *προπομπούς*, tum sic statuendum, ut ipsi recitent binas strophas et antistrophas (vv. 1014—1015. 1017—1018. 1020—1022. 1024—1026) atque reliqua popularis turba quattuor versus intercalares (1016. 1019. 1023. 1027) sensu etiam magis vulgari multitudini convenientes.

****

Itaque dum graviore carmine Areopagitae ipsa Minerva urbana dea duce Eumenides prosequuntur, ceterique hoc aliquoties interrumpunt clamantes: *εὐφαμεῖτε δὲ χωρῖται, εὐφαμεῖτε δὲ πανδαμεί*, bisque: *ὀλολύξατε νῦν ἐπὶ μολπαῖς*, totum agmen orchestram derelinquit finiturque Orestea solemni hac pompa, cuius non tantum cuiusvis generis cives Attici sed Attica dea ipsa particeps est.

Haec fere erant, quae de Eumenidum re scenica disputanda mihi putavi. Iam nunc fabula ipsa omnibus ex partibus perlustrata neque neglectis, si ad rem pertinere videbantur, quae a veteribus testibus de hac fabula memoriae prodita sint nec non quae de ea disputaverint recentiores viri docti, nunc aliquantulum certiora ea fore quam quae olim ambigua de hac fabula protuleram, confido. Neque vero omnia esse certa me ipso nemo melius scire potest neque in eiusmodi quaestionibus omnia certa esse posse quivis harum rerum peritus novit. Non igitur praeter opinionem mihi accidet, si de rebus incertis alii aliter iudicabunt quam mihi faciendum putavi. Ita vero omnino fit in litteris. Qui sua opera litteras profici cupit, is ne ab aliis offendi metuat. Neque vero ego pugnam in litteris quamquam adolescens et in litteris novus homo vereor: contentus ero, dummodo ratio, quam mihi sequendam putavi, non displicebit iudicibus aequis, atque eiusmodi iudicum assensum spero me adiuturum esse in via, quam emetiri mihi proposui, ut in ceteras quoque fabulas, primum Aeschyli poetae illius divini ante omnes a me adamati eadem ratione qua in Eumenidas de re scenica inquiram. Hac igitur spe ductus non prosus improbatum iri hanc rationem, quae ut paucis repetam, nulla alia est, quam ut ante omnia poetae ipsius verba examinentur, dissertationem hanc nunc valere iubeo.

Scribebam Colbergae mense Ianuario a. MDCCCLVIIII.

Reinhardus Schultze.